
ANNO SÆCULI XII INCERTO

MAGISTRI BANDINI

THEOLOGI DOCTISSIMI

SENTENTIARUM

LIBRI QUATUOR

Quibus universæ theologiæ summa, ac fidei nostræ compendium pure simpliciter ac methodice tractatur; nunc multo quam ante correctius editi, ad utilitatem omnium Christianæ pietatis studiosorum.

Accesserunt in singulos libros argumenta indicantia quid unoquoque libro contineatur.

(Lovanii, apud Petrum Colonæum, bibliopolam juratum. Anno 1557. Cum privilegio regię majestatis ad quadriennium.)

BENEVOLO LECTORI PETRUS COLONÆUS SALUTEM.

Felicibus divi Maximiliani pientiss. clarissimæque memoriæ Cæsaris semper Augusti auspiciis Christiane lector, editi sunt Viennæ, ante annos propemodum 40. Bandini theologi doctissimi ac pervetusti Sententiarum theologicarum libri quatuor: quibus auctor ille in sacris litteris exercitatissimus, universæ theologiæ summam ac fidei nostræ compendium breviter, sed diligenter exacteque et stylo non ineleganti contextuit. Quorum cum amicus quidam nobis copiam faceret, ac omnibus quicumque vidissent, vehementer placere animadverterem quod religionis doctrinam, quæ per Scripturas longe lateque dispersa jacet, quam artificiosissime digestam pure simpliciter atque methodice explicaret: operæ pretium me quoque facturum non leve putavi, si, abstersis eruditorum theologorum judicio ac diligentia, innumeris primis et, ut sæcula tunc erant, nimium dormitantis et impoliti typographi mendis, castigatum jam typis que elegantioribus conspicuum Bandinum in lucem prodire juberem, quo frui tanto thesauro quamplurimi facilius possent. Ac imprimis quidem constitueram tantummodo primum hujus auctoris opusculum, quod est de Trinitate, seorsum ad utilitatem studiosorum excusum, exhibere, ut hinc conjecturam facerent studiosi, quid de Bandino vetere quidem et eruditissimo compendiosissimoque doctore, sed paucis hactenus viso esset sentiendum: Verum, hoc libello vix absoluto et a studiosis lecto, non desierunt illi quam avidissime reliquos quoque simul expetere, quos non minori artificio compendioque scriptos nihil dubitabant: quibus dum obsequimur magnis nostris sumptibus non parcimus. Tu proinde nostram operam et impensas tuis studiis unice consecratas boni consule, benevole lector, et vale, nostrosque conatus, si quid potes, adjuva, a blattis et tineis vindicans cum horum libellorum, tum aliorum nondum editorum Bandini operum exemplaria in bibliothecis latentia. præsertim manu scripta et vetusta. Iterum vale.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Invictissimo atque magnanimo imperatori MAXIMILIANO Cæsari Augusto, benedictus Chelonius abbas Viennæ ad Scotos, obsecundator indefessus felicitatem optat.

Rebus publicis ut salvæ consistere possint sapientiæ deditos oportere præesse, Platonis est sententia, Maximiliane Cæsar piissime. Quod quam verum sit et quod utile, ut Græcas omittamus et Latinas, Barbarorum quoque indicant historiæ. Sapiens autem animus, qui dux atque imperator vitæ mortalium est, is mihi demum videtur, si religiosus est. Inde fit ut sapientia, quam Græci philosophiam vocant, quæ Seneca teste format animum, vitamque disponit, et actionum nostrarum rector, agenda et omittenda demonstrat, cum sit non modo humanarum, verum etiam divinarum rerum cognitio, indissolubilem cum religione germanitatem habeat. Ea quisquis imbutus est, recte vivit, agitque feliciter. Huic fortuna omnis despicitur, cælumque

ipsum militat. Qui si rerum summam gerendam deferat, pulcherrimum cernere est imperium. Quod J ris Romani non nescientes imperiale fastigium pontificia dignitate frequenter accumularunt, Eaque augusta majestas, sacra quoque, in hunc usque diem dicitur. Quo quidem sanctitudinis respectu veteres, apud quos, præter ea quæ publice administrabantur, contra hostem quoque nihil inauspicatum feliciter, ut coram ferebat opinio, gerebatur, tantum Romanam rempublicam crevisse autmabant, quantam fuisse novimus, Quorum nihilominus non sacra, imo exsecranda erat religio, stultaque sapientia, et profana superstitio. Non itaque qui non ethnica, sed orthodoxa pietate sumus instituti, et non Martem, sed Christum fortunis nostris invocamus, cum ea tuis evenisse constet temporibus, quæ nullis prioribus visa sunt sæculis, et omnis admirabitur posteritas, utpote publicis commoditatibus præsentissima et prope, nisi oculis cernerentur, incredibilia, cur non tuis quoque sacratissimis ascribenda putemus auspiciis? Transco nova, quæ hostes tui plurifariam experti sunt, disciplinæ militaris instituta, quibus tibi ab adolescentia in senectutem usque contumax eorum semper est debellata superbia, ut infiniti tui testantur triumphi: quos Joannes Stabius majestatis tuæ historicus, in grandem, quem triumphalem nuncupat, arcum collegit. Cujus nos Commentarium ex Germanico in Latinum, jussu tuo vertimus. Taceo novas atque stupendas, quarum tonitru fulmineque, vel Alpes contremiscant et corruant, et quibus valeat obsistere, nihil per te divina in omnibus præditum industria, inventas ad prælia machinas. Pacis interea, cujus gratia bella omnia tibi sunt suscepta, quantum fuerit studium, inde potest colligi, quod tantos reges, totque in tua sædera, tuasque affinitates magno ingenii tui artificio principes, et præcipue nuper Viennæ, perduxisti. Tot etenim summos purpuratos atque torquatos, ex toto orbe Romano abs te accitos tunc eo confluisse conspeximus, quot nusquam ulla commemorat ætas convenisse. Quem præclarissimum æternaque memoria celebrandum conventum, duobus libris, versibus heroicis perscripsimus, inque sacratissimas tuas manus obtulimus. Hæc, inquam, taceo, atque consulto quidem, quod non modo meas vires, imo et sese ipsa superent. Propter quæ etiam, in le Virgilianum illud, quo principem optimum idem poeta complexus est, compleri video.

Tu regere imperio populos, Romane, memento :
 Ille tibi erunt artes, paciue imponere morem,
 Parcere subjectis, et debellare superbos.

Ad unum id, quod principum ab origine mundi omnium fata superet, veniam. Novimus Bacchum et Herculem remotissimas in sua imperia coegisse gentes. Pompeium item atque Julium multosque Romanorum principum alios nationes devicisse quamplurimas, at nobis haud incognitas tamen, Latinoque adjeci se imperio: te autem ferme nascente, atque subinde parente tuo fortissimo imperatore, posteaque te fortissime imperante, alius nobis terrarum orbis, alique nullis ante sæculis cognitæ, ac ne somniatæ quidem gentes, Hispanis, et unde tibi maternum genus est, Lusitanis, præcipue navali ac prope insana, si dicere liceat, indagazione tropicos ambos, et extremum, qui antipodum est pelagum superantibus, Christiano accessere imperio. Quibus etiam temporibus novum quoddam Palladi vel ipsi, ut opinor, eousque ignotum scribendi genus, quod chalcographium vocamus, in lucem prodit. Cujus occasione præclarissima illu nunc late proveniunt ingenia, crescunt litteræ, et ad Philadelphicam quoque æmulationem complentur passim bibliothecæ. Quæ singula pluraque multo alia, tuo fato, tuisque jure auspiciis ascribenda, qui digne memorare velit, æstivum diem, centumque linguas et ferream querat vocem. Non minus tui generis, quod antiquissimum est, et a magno illo Chamo descendere legimus, amplissimam claritudinem, in nepotes usque tuos, quibus nunc mundus universus nil pretiosius habet, et stemmata qui regia, carptim duntaxat dicere tentet, non tantum de exordio, quantum de inveniendone sine sollicitus sit: inque auxilium vocet Calliopen, et ipsum quem nihil historiarum latet Apollinem, suasque nihilominus incassum nitentes ridet at vires. Omittamus tuæ stirpis reliquos maximis ubique laudibus decantatos, Carolum specimen tibi si millimum, tyrannorum fulmen et occidentis nunc, moxque, te salutante, orientis regem quem catholicum vocare justum est, potentissimum gloriæ tuæ permagnumque quis mortalium esse nesciat incrementum? quis dignis prosequatur laudibus? Quo Ferdinandus natu minor, par indole, natus et idem in sceptrum germano quam dignissimus nescitur. Tuarum uterque virtutum egregius æmulator. Christianis omnibus, alter, quam de se optimum præbet, spe, alter etiam reipsa, immensum suscitatur gaudium. Ob eas itaque plurimasque alias, maximasque tibi, utpote singulariter divo principi cælitus concessas gloriæ dotes, et in primis ob religionis Christianæ, quem sedulo juvas ac fortissime defendis cultum, Bandinus noster Medlici pridem inter alia quæ ibidem quamplurima sunt, vetustissima inventus volumina, et a D. Sigismundo viro moribus egregiis et studiis optimis longe ornatissimo, artiumque, quas liberales appellamus, magistro, ejusdem monasterii abbate pervigili, productus in lucem, sese ad manum me ducente lætissimus offert, tuisque quod longævo carcere tandem sit liberatus, felicibus ascribit auspiciis. Felicibus, inquam, quippe cui juste pieque vivere ex consuetudine puero assumpta, in naturam versum est. Quo nunc nemo fortior prudentiorque, nemo cautior, integrior et sanotior, nemo in cictos clementior, et litterarum, quas optime calles, invenitur amantior. Illum, sacratissime Cæsar, favore tuo dignare, parvum quidem pondere, sed religionis nostræ sanctis refertum dogmatibus. Unde, ut mea multorumque aliorum non imperitorum fert opinio, Petrus ille Longobardus grande suum atque quadripartitum volumen propagasse videtur. Similiter et nos, quibus tanto obsecundare principi decus existimatur pulcherrimum, tantoque te frui patrono tutissimum ducitur præsidium, tuæ majestatis obsecutores paratissimos tuorum, quos optimos semper habes in clientum numero, conscribere dignare.

Viennæ ad Scotos 1518.

EJUSDEM

AD SIGISMUNDUM ABBATEM EPISTOLA.

Reverendissimo Patri ac domino D. SIGISMUNDO abbati in Medlico, viro et litteris et religione ornatissimo, pergrata sibi familiaritate devincto, plurimumque observando, F. Benedictus Chelidonium Viennæ ad Scotos abbas S. D.

De litteria disceptatione, quæ nuper Viennæ inter D. Joannem Eckium, sacræ theologiæ doctorem, facultatisque ejusdem doctores Viennenses, maxima in litteratorum frequentia facta est, dum inter prandendum nuper abs te, Sigismunde abba dignissime, nonnullis aliis bonarum litterarum professoribus, more tibi solito conferretur, ipseque ut sæpissime alias, secundum priscam, quæ iniri tua cum paternitate jam pridem fuerat consuetudine invitatus considerem per D. Eckii mentionem, ad bibliothecæ tuæ, quam novam construxisti, pervetustis manuque scriptis codicibus plenam, digressi sumus memoriam. Quorum ex numero P. tua reverenda librum quemdam ævi plenum, cui titulus erat, liber sententiarum magistri Bandini, paucos ante dies indicio D. Eckii reportum protulit. Quem cum publicatu dignum una cuncti sententia judicasset, abs te, pater optime, quod domesticis tunc curis omnino fore obnoxius, ejusdem revidendi, et quo maxime indigebat, castigandi provincia mihi tunc forte minus negotioso demandata est. Quam ego, utpote P. tua multa pro benevolentia, multisque pro beneficiis plurimum debens, au facia magis quam fretus peritia, assumpto mecum in eam operam Martino Milio regulari canonico, et nostri monasterii tunc Plebano, viro in omnem rem litterariam abunde expedito, promptus obii, et eo quo Petrus Longobardus modo, quantum licuit distinxit, et a mendis, quibus plenior quam Leopardus maculis erat, vindicavi; auctoritatum denique loca pleraque annotavi. Inter legendum igitur comperi certissime Petrum eundem, suis in quatuor libris, nostro per ordinem usum Bandino. Petrus namque in suo qui de sacramentis est quarto libro, de confirmatione quanquam parum, nonnihil tamen disputat. Quem si Bandinus, ut a nonnullis putatum est, abreviasset, de sacramento eodem, utpote re ad propositum necessaria, non ita, quemadmodum fecit, tacuisset. Sententiæ nostræ D. Eckius in libro de sua Viennæ habita disputatione, astipulari videtur, cujus verba inferius subjungam. Simile de Gratiano quoque, ut veritatem exemplo astruam, amborum tamen salva reverentia, nuper comperi. Nam Joannes Hesus reverendissimi præsulis Vratislaviensis, et Caroli ducis Silesiæ familiaris gratissimus, virque doctissimus, conterraneus meus, ex Georgio quodam de Spalato æque doctissimo Saxonie ducis a secretis, sese audivisse mihi asserebat librum Isideri Hispalensis, synodales constitutiones et Patrum sententias continentem, in monasterio quodam Thuringiæ, quod Vallis Sancti Georgii vocatur, teneri. Unde Gratianus ille quisquis fuit maximam partem in suum decretum congesserit. Bandinus, cujus, et fortunæ cujus homo, fuerit, cum diu multumque in historiis quoque doctissimorum virorum Georgii Collimitii, medicinæ atque astronomiæ doct. Sebastianique Vunderhi, LL. Licentiati, magistrorumque Ambrosii Salsæ, Andræque de Mergentem, nec non Joannis Eckii per epistolam, usu investigassem, de viro longæva gloria digno nihil deprehendimus. Et nisi hoc ingenii sui monumentum post se reliquisset, omnino forsitan æterna sepultus oblivione lateret. Volumine itaque, quandoquidem de auctore nihil certi habemus, contenti simus. Quod modo Calcographis subjacet, in lucem, ut jussisti, quam ocissime proditurum. Vale, abba litterarum amator notissime.

Datum Viennæ ad Scotos prima die Julii 1518.

Dominus Joannes Eckius sacræ theologiæ doctor clarissimus in suo libro, quem de sua disputatione Viennæ habita edidit, de magistro Bandino quid sentiat, lector, advertite. Cujus hæc sunt verba :

Ad Medicum veninus, insigne divi Benedicti monasterium, ubi dum in hospittio itineris comites corpora et equos curarent, ego pro meo in bonas litteras amore, monasterium conscendi, suppellectilem chartaceam visurus. Ubi codices reperi plurimos. At imprimis mirifice oblectabar in magistris Bandini summa theologica. Quam dum diligentius lectissem, comperi, dempta stili elegantia, nihil eum, aut perparum a Petro Longobardo Sententiarum magistro differre, ita singulas sententias, eo etiam ordine, quo magister, doctissime prosequitur. Contuui enim confestim librum libro, non uno in loco: ut mihi dubitatio suborta sit non modica, quis ex eis cuculus fuerit (1), alienum sibi supponens partum. Petrus enim a tot sæculis receptus est pro certo auctore et primario hujus summae. At contra, pervetustus est Bandini codex, in antiquissimo monasterio, tali formula concinnatus, ut quis facilius aliquid addiderit, quam detraxerit.

Hæc Eckius.

(1) « Dubitationem hanc, quis horum duorum alteri sua debeat, dirimit cedex Altahe superioris (Ober-Altaich), sæculo XIII exaratus, in-4^o maj., in quo Bandini opus *Abbrevisatio de libro sacramentorum magistri Petri Pariensis episcopi fideliter acta* clare ac affirmative dicitur. » D. B. PEZIUS, *Dissert. in tom. I Theas. Anecd.,* p. XLV-XLVII. — Vide *Notitiam litterariam* Operibus Petri Lombardi præmissam, superioris tomi col. 22. EDIT. PATR.

MAGISTRI BANDINI DE SACROSANCTA TRINITATE LIBER QUI EST SENTENTIARUM PRIMUS

Περὶ τοῦ. — *Primo hoc libro (quemadmodum et in cæteris omnibus) mira usus brevitate ac perspicuitate Bandinus, vir (ut scripta evidentè commonstrant) in sacris litteris, Patrumque orthodoxorum lectione versa-*

tissimus, ex his ipsis luculenta methodo (præmissa generali totius Scripturæ quasi materia) quam compendiosissime clarissimeque de sacrosancta disserit Trinitate: docans Deum in essentia unum, in personis trinum esse. Deinde quomodo hæ personæ inter se distinguantur, aliæque ab alii ortum ducant: interim, perennitate, magnitudine; ac potestate revera æquales. Postremo de D. i scientia, providentia, prædestinatione, potentia, ac voluntate, varias abstrusasque sed lectu per jucundas, nec minus utiles paucis agit, claræque diluit quæstiones.

DIST. I. *Generalis Scripturæ totius materia: res et signa. Quid res, quid signum.* — Circa res divinas (2), studiosis compendium aliquod cœlesti favore tradere cupientes, admonemur quamprimum duo esse, in quibus præcipue doctrina Dei versatur, res scilicet et signa. Ut enim Augustinus ait (3): Omnis doctrina, vel rerum est, vel signorum. Dicuntur autem res, quæ ad aliquid significandum non adhibentur: signa vero, quorum usus in significando est: velut utriusque legis sacramenta.

Rerum divisio. Divisionis usus. Quid frui. Quibus fruendum. Quibus utendum. Quid uti. — De his duobus, Deo scientiarum ferente opem, agere instituimus. Ac primum de rebus, postea de signis disseremus. De rebus Augustinus ait (4): Rerum aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quibus utendum est, aliæ quæ fruntur et utuntur. Rebus quibus fruendum est, beatificamur. Illæ autem sunt Pater et Filius, et Spiritus sanctus. Eadem tamen Trinitas, summa quædam res est. Est autem frui, amore inherere alicui rei, propter seipsam. Quod Trinitati duntaxat convenire dignoscitur. Res vero quibus utendum est, sunt quibus adminiculamur, ut rebus beatificantibus inhæreamus; quæ sunt mundus, et in eo creata. Quibus utendum est, ut in his invisibilia Dei, pereaquæ facta sunt, intellecta conspiciantur, hoc est, ut de temporalibus æterna capiantur (Rom. 1). Est enim uti: id quod in usum venerit, referre ad hoc obtinendum, quo fruendum est. Denique res, quæ fruuntur et utuntur, sancti angeli sunt, et nos quasi inter utrasque, medii constituti.

Sitne hominibus fruendum. — Sed quæritur, utrum homines se invicem frui debeant? Ad quod Augustinus ita respondet (5): Si propter se homo diligendus est, fruimur eo, si propter aliud, utimur eo. Ideo non videtur homo propter se diligendus, quia in eo quod propter se diligitur, quo solo fruimur, vita beata constituitur. Cujus etiam spes hoc tempore nos consolatur. In homine autem spes ponenda non est. Ergo homine fruendum non est, nec seipso etiam.

Sed objicitur, quod Apostolus ad Romanos (xv) ait: *Si vobis primum ex parte fructus fuero.* Sane subaudiendam est (in Domino) ut idem ad Philemonem (20) dicit: *Ita frater, ego te fruar in Domino.* Denique cum homine in Deo frueris, Deo D potius quam homine frueris, ut Augustinus ait.

(2) Confer cum dist. 1 a P. Lombardi.

(3) Lib. 1. De doct. Christ. cap. 2.

(4) C. 3, eodem lib.

(5) C. 22, De doct. Christ.

(6) Eodem lib. 1 De doct. Christ., cap. 31 et 32.

Fruaturne nobis Deus. — Item quæritur, utrum Deus fruatur nobis? Quod negat Augustinus (6), Quia bono nostro non eget. Ait enim propheta: *Bonorum meorum non eges* (Psal. xv). Non ergo fruatur nobis, sed utitur: alioqui si nec etiam utitur, quo modo nos diligit, non invenio. Nos quoque invicem nobis utimur, sed aliter atque ille. Ille enim utitur nobis, miserendo, ut se perfruamur: nos vero invicem utimur, cooperando, ut illo perfruamur.

Sitne virtutibus fruendum. — Nec virtutibus etiam fruendum est, quia quo fruimur, propter se tantum, ut dictum est, amamus: virtutes autem propter beatitudinem, non propter se amamus. Unde Aug. (7): virtutes forte quas propter solam beatitudinem amamus, sic persuaderent nobis audent, ut ipsam beatitudinem non amemus. Quod si faciunt, etiam ipsas utique amare desistimus, quando illam, propter quam solam istas amamus, non amamus. At huic objicitur quod ait Ambrosius in Epistola ad Galatas (8): Hæc scilicet opera non nominat Apostolus virtutes, sed fructus, quia propter se petenda sunt. Quod si est, ergo propter se amanda sunt, non propter solam beatitudinem. Porro sciendum est virtutes etiam propter se amandas esse, quia possessores suos pie ac sancte delectant, nec in aliquo contristant; verum hic non est sistendum, sed per eas, sicut per quædam adminicula, ulterius progredimur, appetendo quiddam, in quo solo consecuto, finis gaudii et delectationis, quod est beatum esse, proponitur: hoc autem est summum et incommutabile bonum, Deus Trinitas. Atque ob hoc, virtutes propter solam beatitudinem amandas, dictum est. Utendum ergo virtutibus est, et per eas, non eis, summo bono est fruendum. Sic de voluntate cunctisque potentiis animæ dicimus. Ita est distinctio rerum, ut præactum est. Primum igitur ipso de quo loquimur adjuvante, de illis quibus fruendum est, agamus: scilicet, de sacrosancta atque individua Trinitate.

DIST. II. *De sacrosanctæ Trinitate.* — Hoc itaque vera ac pia fide tenendum est, ut Augustinus ait (9), quod Trinitas est unus et solus verus Deus: scilicet Pater, et Filius et Spiritus sanctus. Hæc Trinitas unius, ejusdemque substantiæ vel essentiæ dicitur, creditur, intelligitur, quæ summum bonum est.

(7) De Trin, lib. 13, cap. 8.

(8) Non reperitur in Amb. commentariis. sed in glossa interlineari.

(9) Lib. 1, De Trin., cap. 2.

Reverenter disputandum de Trinitate. — De hac excellentissima re agamus cum modestia et timore: attentissimis etiam auribus atque devotis audiamus. Quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur.

Cuiusque denique in hac re studeat Augustinum imitari de se ipso dicentem: « Non pigebit me, sicubi hæsito, quærere: nec pudebit, sicubi erro, discere (10).

Quæ fuerit intentio scribentium de Trinitate. — Inde sciendum est omnes in hac re catholicos tractatores intendisse docere secundum Scripturas, quod Pater, et Filius et Spiritus sanctus unius substantiæ sint, et inseparabili æqualitate, unus Deus; ut doceatur unitas esse in essentia, et pluralitas in personis. Ideoque non credantur plures esse dii, sed unus Deus. Teneamus igitur Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ut Aug. ait (11), unum esse naturaliter Deum; nec tamen ipsum Patrem esse, qui Filius est: nec Filium ipsum esse, qui Pater est: nec Spiritum sanctum ipsum esse, qui Pater est aut Filius.

Quo sit ordine de Trinitate agendum. — Præterea, ut Aug. ait (12), hoc modo in hac re agendum est, ut primum per Scripturas, an fides ita se habeat, monstratur: deinde adversus garrulos, rationibus catholicis, congruisque similitudinibus, pro asserenda fide defendendaque eatur: ut eorum scrutiniis satisfaciendo, modestos plenius instruamus. Illi autem si quod quærunt, invenire nequeunt, de scipsis potius quam de ipsa veritate, ac nostra diffinitione vel

Testimonia Veteris Testamenti de divina unitate et Trinitate. Unitas naturæ. — In medium itaque Veteris ac Novi Testamenti auctoritates proferamus, quibus unitatis ac Trinitatis veritas demonstratur. Ac primum ipsa legis occurrant exordia. Moyses ergo ait: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est (Deut. vi).* Item: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti (Exod. xx).* Ecce hic asseritur unitas divinæ naturæ. Deus enim et Dominus, ut ait Ambrosius, nomina sunt naturæ et potestatis (13). Item alibi: *Ego sum qui sum; et: Qui est, misit me ad vos (Exod. iii).* Dicens, *ego sum*, non, nos sumus, et *qui est*, non, qui sumus, apertissime unitatem divinæ substantiæ declarat.

Personarum trinitas. — Personarum quoque pluralitatem et naturæ unitatem simul Dominus ostendit dicens: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Gen. i).* Cum enim, ut Augustinus ait (14), dicit, *faciamus*, et, *nostram*, ostendit eundem Deum, non unam, sed plures esse personas. Dicens vero, *ad imaginem*, unam ostendit esse naturam, ad cuius imaginem fieret homo, Item cum scriptum sit: *In principio creavit Deus*

cælum et terram (Gen. i): sciendum est quod Hebraica veritas habet *eloym*, ubi Deus scribitur, quod est plurale hujus singularis *el*, et interpretatur *dii* vel *judices*. Quod ergo *eloym*, non *el*, dixit Moyses, personarum pluralitatem indicavit. Ad quam etiam illud refertur. *Eritis sicut dii (Gen. i)*, pro quo Hebræus rursus habet *eloym*, quasi dicat: *Eritis sicut divinæ personæ*. Denique maximus prophetarum David, super senos intelligens (*Psal. cxviii*), naturæ divinæ unitatem testatur, ubi ait: *Dominus nomen est illi (Psal. lxvii)*, non domini. Distinctionem quoque personarum innuit dicens: *Verbo Domini cæli firmati sunt (Ps. xxxii).* *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ (Psal. lxvi).* Trina enim confessio Dei, trinitatem exprimit personarum: dum vero subjungit, *eum*, essentiæ aperit unitatem. Item Isaias dicit, Seraphim clamare, *sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus (Isa. vi).* Ter autem dicendo *sanctus*: Trinitatem: *Dominus Deus* subjiciendo, unitatem, aperte distinguit.

Veteris Testamenti testimonia de æterna Filii ex Patre genitura. — Cæterum David ex persona Filii, divinam generationem ostendit ibi. *Dixit Dominus ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te (Psal. ii).*

De hac Isaias ait: *Generationem ejus quis enarrabit? (Isai. liii.)* De hac generatione Clemens in prima epistola sua, Jacobo episcopo scribit, dicens:

« Hanc secretam originem, cum proprio Filio, novit ipse solus qui genuit. » Nec a nobis Deus discutiendus est, sed credendus, qui in nobis ipsis nescimus quod sapimus, scilicet quomodo sapientia, ingenium, aut intellectus, consilium, aut mens nostra generet verbum. Sufficit ergo nosse, quia lux genuit splendorem, sicut ait Propheta. *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te (Psal. cix).* Et alibi: *Hic Deus noster, et non reputabitur alter ad eum (Baruc iii).* In Sapientia quoque, de ipsa dicitur: *Antequam terra fieret, ego jam concepta eram (Prov. viii).* Necdum fontes, montes aut colles, et ego parturiebar. Item: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam (Eccli. xxiv).* Ecce aperta de æterna genitura testimonia.

Genituræ temporalis testimonia. — Michæas vero utriusque generationis Verbi, temporalis scilicet et æternæ testimonium dicit sic: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis (Mich. v).*

Testimonia de Spiritu sancto. — De Spiritu sancto etiam specialiter Scriptura ita testatur in Genesi: *Spiritus Domini ferebatur super aquas (Gen. i).* Et David: *Quo ibo a Spiritu tuo? (Psal. cxxxviii.)* Et in Sapientia: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum (Sap. i).* Et Isaias: *Spiritus Domini super me etc. (Isa lxi).*

(10) Lib. I, De Trin., cap. 3.

(11) De fide, ad Petrum.

(12) Lib. I, De Trin., cap. 2.

(13) Lib. I, De fide, cap. 1 et 2.

(14) De fide, ad Petrum.

Novi instrumenti testimonia de iisdem. — Ut autem in medio duorum animalium veritas cognoscatur, et forcipe sumatur de altari calculus, quo ora fidelium tangantur, etiam Novi Testamenti divina Trinitate ac unitate, testimonia ponamus. Magister itaque veritatis dicit: *Ite, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Matth. xxviii).* In nomine dicens, non in nominibus, ut ait Ambrosius, unitatem essentialis per nomina tria quæ ponit, tres esse personas declarat (15). Item: *Ego et Pater unum sumus (Joan. x).* Unum dixit, ait Ambrosius, ne fiat discretio nature vel potestatis (16). Addidit, sumus, ut Patrem Filiumque cognoscas. Joannes etiam ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. i).* Aperte ostendens Filium æternaliter esse apud Patrem, ut alium apud alium. Item alibi: *Tres sunt qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt (I Joan. v).* Apostolus quoque Trinitatem unitatemque distinguit ibi: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi gloria (Rom. ii).* Ex ipso, ut Augustinus ait (17), dicit propter Patrem: propter ipsum, propter Filium: in ipso, propter Spiritum sanctum. Hæc est Trinitas. Per hoc vero, quod non ait, ipsis gloria, sed ipsi, hanc Trinitatem, unum Deum esse ostendit: sane quia singulæ pene syllabæ Novi Testamenti, hoc concorditer insinuant, testimonia deinceps inducere omittentes, rationibus, congruisque similitudinibus prout infirmitas nostra valet, ita esse ostendamus.

Dist. III. Tribus modis per creaturam Creator nosci potuit. — Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur a creatura mundi (Rom. i), hoc est, homino, qui, dicente Apostolo, duobus juvabatur ut Deum invisibilem cognosceret, natura scilicet rationali, et operibus exterioribus, in quibus artificialis aliquatenus relucet iudicium.

Ait enim Ambrosius (18): Ut Deus qui natura invisibilis est, etiam a visibilibus posset sciri, opus fecit quod opificem sua visibilitate manifestavit, quod ab homine fieri impossibile est, vel ab aliqua creatura. Constat igitur super omnem creaturam illum esse qui eam fecit, ac per hoc illum esse Deum, humana mens cognoscere potuit.

Quem etiam cognoverunt philosophi omnia fecisse, et a nullo factum fuisse. Videbant enim omnem substantiam corpus esse aut spiritum: et hunc meliorem illo, sed longe meliorem qui utriusque Conditor est. Illum igitur principium rerum esse, rectissime crediderunt: qui factus non esset, et ex quo cuncta facta essent.

Quod vero veritas Dei per ea quæ facta sunt cognoscitur pluribus modis, pluraliter, invisibilia Dei,

(15) Lib. i, De fide, c. 12.

(16) Loco eod.

(17) Lib. i De Trin. c. 6.

(18) In comment. Epistolæ ad Rom. c. 1. Quod notum est Dei.

A dicit Apostolus, cum simplex tantum essentia sit, et una (Rom.): Ex perpetuitate namque creaturarum, æternus: ex magnitudine, omnipotens; ex dispositione, sapiens; ex gubernatione, bonus, intelligitur conditor Deus. Igitur per hæc omnia, deitatis unitatem cognoscere potuit homo.

Quomodo Trinitas noscatur per creaturas. — Trinitatis etiam indicium vel vestigium haberi potuit, per ea quæ facta sunt. Ait enim Augustinus (19): Hæc omnia quæ arte divina facta sunt, et unitatem quamdam in se ostendunt, et speciem et ordinem. Quodque enim creatorum, et unum aliquid est, et aliqua specie formatur, et aliquem ordinem petit aut tenet. Ecce tale vestigium ineffabilis Trinitatis apparet in creaturis. In ea namque summa origo, vel omnium rerum unitas est Pater. Omnium rerum pulchritudo perfectissima, Filius. Et beatissima delectatio, Spiritus sanctus. Sic igitur per ea quæ facta sunt, in fide invisibilium adjuvamus.

Quomodo in anima sit imago Trinitatis. In mente denique humana, quæ divinitatis est imago, plenius hæc intelligi poterunt. Etsi enim, ut Aug. ait (20), amissa Dei participatione deformis sit mens humana, imago tamen Dei eo ipso permanet, quo capax ejus est, ejusque particeps esse potest. Quia meminuit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei invenimus, scilicet memoriam, intelligentiam et voluntatem. Hæc igitur, et tria, et unum sunt. Nec enim, ut Aug. ait (21), sunt tres vitæ, sed una. Quæ etiam relative dicuntur, ut Aug. ait, mens enim amare seipsam, vel meminisse non potest, nisi se etiam noverit. Nam quomodo amat, vel meminit quod nescit? Sic etiam de cæteris dicendum est. Mens autem ipsa vel vita ad se dicitur.

Quomodo tria illa sint æqualia. Proinde et æqualia sunt non solum singula singulis, sed et singula omnibus. Memini enim me memoriam habere, intelligentiam et voluntatem; intelligo me intelligere, velle et meminisse; volo etiam me velle, et meminisse et intelligere.

Quomodo illa tria dicantur unum. Sed quomodo hæc dicuntur una mens, cum potius mentis vires dicenda videantur? Ideo scilicet quia in ipsa mente substantialiter existunt. Unde Aug. (22): Admonemur hæc in animo existere substantialiter, non tanquam in subjecto, ut color in corpore, quia, etsi relative dicuntur ad invicem, singula tamen substantialia sunt in sua substantia. Miro itaque modo, tria hæc inseparabilia sunt a semetipsis, et eorum unumquodque, et simul omnia, una substantia sunt, ut dictum est.

Quæ dissimilitudo sit creatæ et increatæ Trinitatis.

(19) Lib. vi De Trin., c. 10.

(20) Lib. xiv De Trin., cap. 8.

(21) Lib. xiv, c. 8.

(22) Lib. ix De Trin. c. 4.

tis. Cum autem per hæc appareat trinitas creata increatæ similis Trinitati, in pluribus tamen dissimilis existit, quod facile ostenditur si advertatur. Ecce enim unus homo est, qui habet hæc tria. Non autem ipse est hæc tria, ne hæc tria sunt unus homo: ibi vero unus Deus est tres personæ: et tres personæ, unus Deus. Item hic est tantum una persona, ibi autem tres personæ sunt, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Denique, hic nullum horum trium est homo: ibi vero quælibet personarum plenus et perfectus est Deus. Multum igitur mens nostra distat a Trinitate increata. Quæ quidem mens imago Dei est, ut Aug. ait (23), non ideo tantum quia meminit sui, intelligit, ac diligit se: sed quia potest etiam et meminisse, et intelligere, et amare illum, a quo facta est. Per quod unitatem in Trinitate, et Trinitatem in unitate intelligere valet. Intelligit enim unum tantum esse principium rerum, quia si plura essent, vel omnia essent insufficientia, vel cætera præter unum supervacanea essent. Illud autem principium, non fatuum putavit, unde sapientiam ibi esse intellexit, quam cum diligit, etiam amore ibi esse recta ratione deprehendit. Patet ergo quomodo mens nostra Deo sit similis, qualiter etiam per eam deitatis unitas atque Trinitas homini potuit innotescere.

De Trinitatis unitate. Firmum argumentum confirmandæ Trinitatis. Ergo secundum prædictorum significationem, credamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse in natura, et trinum in personis. Ut enim Aug. ait (24): Una est natura sive essentia Patris, et Filii et Spiritus sancti, non una persona. Si enim sic esse: una persona, sicut est una substantia Patris et Filii et Spiritus sancti, veraciter Trinitas non diceretur. Item Trinitas quidem esset vera, sed unus Deus Trinitas ipsa non esset. si Pater et Filius et Spiritus sanctus sicut sunt personarum proprietate ab invicem distincti, sic quoque essent naturarum diversitate discreti. Teneamus igitur, quod in ulla sancta Trinitate, unus est Pater, qui solus genuit Filium: et unus est Filius, qui solus est de Patre natus: et unus est Spiritus sanctus, qui solus ab utroque procedit. Quod totum non potest una persona, hoc est gignere se, et nasci de se, et procedere a se.

Dist. IV. An Deus recte dicatur genitus. — Emergit igitur hic quæstio. Utrum se Deus genuerit? Constat quippe, quod Deus genuit Deum, quia Pater genuit Filium. et uterque est Deus. Ex hoc ita proceditur. Si Deus genuit Deum, ergo aut se Deum, vel alium Deum: quod si alium, non est tantum unus Deus. Si autem seipsum, ergo aliqua res seipsam genuit. Cui contradicit Aug., inquit (24): Qui putant ejus esse potentiam Deum, ut seipsum genuerit, eo plus errant, quod non solum Deus ita non

est; sed nec ulla creatura: Nulla est enim res quæ seipsam gignat. Videtur tamen Aug. sibi obviare, ubi dicit (26): Deus Pater se alterum genuit, quod ita sane intelligitur, hoc est, de se alteram genuit personam: vel genuit alterum, id est Filium, qui hoc ipsum est quod ipse. Illationi autem prædictæ. scilicet, si Deus genuit Deum, ergo vel se Deum, vel alium, ista similitudo obloquitur: Filius Dei cœpit esse persona hominis, ergo vel ea quæ ipse est persona hominis, vel alia: quod utrumque cum sit absurdum, nequaquam est concedendum. Ita et de similibus est dicendum.

Eandem tamen quæstionem aliis urgent verbis. Deus Pater genuit Deum, ergo vel Deum qui est Deus Pater, per quod videtur seipsum genuisse, vel Deum qui non est Deus Pater, per quod videtur alium Deum genuisse. Sed licet hoc catholice concedi possit, quia hæc oratio, Deus Pater, non secundum substantiam dicitur, sed personalis est: ad omnem tamen pertinaciam evacuandam, illam propositionem, scilicet Deus Pater genuit Deum, qui non est Deus Pater, ex vi relationis determinandam admonemus, ut scilicet (qui) relatum simpliciter ad Deum, falsum inducat: relatum vero ad Deum genitum, convenienter, verum proponat. Est enim Deus Pater, idem Deus qui et genitus, non tamen Deus Pater, est genitus Deus, quia sic una persona esset alia, quod absit!

Dist. V. An essentia divina recte dicatur genita aut genuisse. — Consequenter quæritur, an Pater genuerit divinam essentiam, an ipsa Filium, an essentia essentiam, nec ne? Quod Pater divinam essentiam genuerit, videtur ex verbis Aug. dicentis: Deus cum Verbum genuit, id quod est ipse, genuit (27). Item Deus Pater qui verissime se indicare animis cognituris et voluit et potuit, hoc ad seipsum indicandum genuit, quod est ipse qui genuit. Ipse autem nihil aliud est, quam divina essentia, quare videtur ipsam genuisse. Cæterum prædicta sic intelligenda dicimus, Pater, id quod est ipse genuit, hoc est Filium, qui est id quod Pater est, sed sed non is qui Pater. Alius est enim Pater, alius Filius, sed non aliud.

Essentiam non esse genitam probat. — Porro quod Pater divinam essentiam non genuit, triplici ratione probatur. Prima, si eam genuit, sequitur quod relative dicitur ad eam. Quod si est, non indicat hoc nomen (divina essentia) substantiam. Ait enim Aug. (28): Quod relative dicitur, substantiam non indicat. Secunda, quod si ipse genuit eam, cum ipse sit divina essentia, idem genuit seipsum. quod esse non potest, ut prædictum est. Tertia, quia si eam genuit, non genitor geniti, sed genitum erit causa genitoris, ut sit, et Deus sit, quippe divina essentia Deus Pater, et est, et Deus est. Similiter dicendum est,

(23) Lib. xiv, De Trin., c. 42.

(24) De fide, ad Petrum, c. 1.

(25) De Trin. lib. xv, c. 20.

(26) Lib. i, De Trin. c. 1.

(27) In epistola 66 ad Maximinum medicum.

(28) De fide cath. 3 et symb. c. 3.

quod neque divina essentia genuit Filium, quia ad eum relative non dicitur.

Nec essentia genuit essentiam, prædicta scilicet ratione, quia idem non generat seipsum. Verum ei quod dicimus, Augustinus contra ire videtur. Dicit enim (29): Sicuti de essentia, essentia: sic sapientia de sapientia. Et alibi (30): Christum Dei Filium verum Deum crede, ut divinitatem ejus de natura Patris esse natam, non dubites. Hæc autem, et si qua similia, sic intelligenda noveris, sicuti de essentia, etc., hoc est, sicuti Filius essentia de Patris essentia est, sic et Filius sapientia de Patre sapientia est. Quod autem sic sane exponitur, ex verbis conijce Augustini dicentis: Ideo Christus dicitur virtus, et sapientia Dei, quia de Patre virtute et sapientia ipse quoque virtus et sapientia est (31).

Videtur etiam prædictis contrarium, quod Hilarius ait (32): Nihil nisi natum habet Filius. At Filius habet etiam essentiam divinam (tota enim est in eo) quare videtur, et ipsa nata esse. Idem apertius dicit (33): Non corporali insinuatione Patrem in Filio prædicamus. sed ex eo ejusdem generis, genitam naturam, naturaliter in se gignentem habuisse naturam. Ecce his verbis manifeste dicit, Dei naturam genitam, et genuisse. Sane ut idem dicit (34), intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi. Non enim sermoni res, sed rei est sermo subjectus. Hæc ergo verba sic fideliter accipi possunt. Nihil habet Filius nisi natum, hoc est, nihil habet Filius, secundum quod Deus, nisi quod nascendo accepit. Item, prædicamus ex eo ejusdem generis naturam genitam, etc., hoc est, prædicamus Patrem qui est natura, esse naturaliter in genito, id est in Filio a se genito, qui est eadem natura qui Pater est. Unde idem Hilarius: Eamdem naturam habet genitus, quam ille qui genuit (35).

Quid sit, Pater de sua substantia Filium genuit. — Frequenter quoque occurrit legenti: Patrem de sua natura Filium genuisse. Unde Aug. (36), Pater Deus, de nullo genitus Deo, semel de sua natura sine initio genuit Filium Deum. Item Aug. super illud: Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii Charitatis suæ. Quod dictum est, inquit, Filii charitatis suæ, nihil aliud intelligitur, quam Filii sui dilectissimi, quod, Filii substantiæ suæ. Caritas quippe Patris, quæ in natura ejus est, nihil est aliud, quam ipsa natura, atque substantia: ac per hoc Filius charitatis ejus, hoc est, qui de substantia ejus est genitus. Idem quoque ait (37): Substantiam Dei genuisse Filium. Carnalibus, inquit, cogitationibus pleni, substantiam Dei de seipsa gignere Filium non putatis, nisi hoc patiat, quod

(29) Aug. lib. vii, de Trin. c. 1 et 2.

(30) In lib. De fide, ad Petrum.

(31) Lib. i, De Trin. c. 3.

(32) Lib. iv, De Trin. non longe a principio.

(33) Lib. vii, De Trin., et c. 2 lib ix.

(34) Circa medium iv libri.

(35) Lib. v, ejusdem.

(36) De fide, ad Petrum; c. 2. De Trin. l. xv,

substantia carnis patitur, quando gignit. *Erratis non scientes Scripturas neque virtutem Dei (Matth., xii).* His verbis plane videtur natura Dei vel substantia genuisse Filium. Ne autem hæc, et si qua similia, vasa mortis sint nobis, sed vitæ ad simplicitatis sensum, quæ est amica veritatis, hujusmodi semper reducenda monemus. Sine præjudicio itaque dicimus, quæ de natura, vel substantia dici videntur, ad personas esse referenda. Quæ sane non nomine personarum, sed naturæ ipsius expresserunt auctores, per hoc nobis insinuantes ejusdem naturæ et substantiæ, et immutabiliter, ut ait Hilarius, ac individualiter tres esse personas. Unde Aug. in eodem: Trinitas hæc unius ejusdemque substantiæ est (38).

B *Dist. VI. Pater volens ne an nolens genuerit. Pater genuit natura.* — Præterea quæritur: An Pater voluntate, an necessitate genuerit Filium: an nolens an volens sit Deus? Quod voluntate genuerit, sic videtur posse probari. Idem est natura Patris et ejus voluntas, Concedis autem quod natura genuit, ergo et voluntate, sed hoc facile in simili refellitur. Idem est enim ejus scientia et voluntas, ergo quæcunque eo sciente fiunt, et volente; non sequitur. Necessitate autem non genuit, quia, ut Aug. ait, grandis miseria et absurditas poneretur in Deo, si necessitate genuisse diceretur (39): Dicimus ergo, quod neque volens neque nolens genuit, hoc plane sensu, voluntate scilicet præcedente vel sequente genituram, ut putabat Eunomius (40). Voluntas eum generandi in Patre, et ipse genitus simul ab æterno fuerunt, sicut Aug. dicit: Filius Dei semper fuit cum Patre, nec præcessit eum paterna voluntas ut esset (41) Secundum hoc igitur dicimus, quod Filius non voluntate sed natura sit Filius: et sicut Pater Deus est natura, non voluntate, sic Filius: etiam et Spiritus sanctus. Quod quia Eunomius intelligere non potuit, nec credere voluit. Unigenitum Dei dixit, non naturæ sed voluntatis Filium esse. Sane hujus dialectica deridenda est, ut Aug. ait (42): Tenendum itaque est, quod Pater non voluntate genuit Filium, quia voluntas generandi Filium non præcessit. Nec necessitate, ne absurde de Deo loquamur, sed natura genuit. Est enim, ut Hilarius ait: Natura Filius, qui eamdem naturam quam ille qui genuit, habet.

D *Dist. VII. Cum Pater et Filius una eademque sint essentia, ut dictum est, tenendum quoque est unam eademque esse potentiam utriusque. Est enim ibi omnino idem esse quod posse. Unde constat, quæ quidquid potest Pater, Filius quoque potest. Verum de hoc difficilis oritur quæstio. Si enim*

c. 49, circa finem.

(37) Contra Maximinum l. iii, c. 14.

(38) Contra Maximinum lib. iii.

(39) De Trin. l. xv, c. 20.

(40) Et in 4, ad Orosium tom. IV; dial. 65, Quæstionem 4, 7.

(41) Ubi supra.

(42) De Trin. l. xv, c. 20.

quidquid Pater potest, et Filius : igitur Filius potest generare, quia Pater potest hoc. Quod similitudine infirmatur : Quidquid enim est Pater, et Filius est : ergo Filius est Pater, quia Pater est Pater, quod non sequitur. Ideo scilicet quia Patrem esse Patrem, non est Patrem esse aliquid, sed ad aliquid. Sic forte non infideliter dicitur Patrem posse generare, non est Patrem posse aliquid. Quippe sicut Pater, ita et generare ad relativum pertinet. Vehementius sane urgetur quæstio, ex verbis Aug. contra Maximinum hæreticum, qui Patrem asserebat Filio potentior, eo quod Pater potuit generare, et genuit Filium Deum creatorem, Filius autem non. Cui Aug. ait (43) : Absit ! ut ideo potentior Pater sit Filio, sicut putas, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem. Neque enim non potuit, sed non oportuit. Quod si diligenter attendas, dicere videtur quod potuit et Filius generare, sed non oportuit. Proinde cur non oportuit ? subdit Aug. : Esset enim, inquit, immoderata divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia et ipse nepos, nisi avo suo pronepotem gigneret, secundum vestram mirabilem sapientiam, impotens diceretur. Similiter etiam ille, si nepotem non gigneret avo, et pronepotem proavo, non diceretur a vobis omnipotens. Nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero nasceretur. Nec enim eam perficeret ullus, si non sufficeret omnipotens unus. Sic ergo intelligendum putamus, quod præmissum est, scilicet non enim non potuit, sed non oportuit, hoc est non ex impotentia est, quod Filius non genuit, sed quia ei non conveniebat, ratione quæ prædicta est. Sicut Pater non est Filius, nec Filius Pater, nec esse potest. Quod non ex impotentia alterutrius est, sed quia non convenit Patri esse Filium, aut Filio esse Patrem. Quod autem Aug. dicit (44) Maximino quærenti, quare Pater non potest esse Filius, vel Filius Pater ? Non utique, inquit, ex impotentia, sed Pater proprietate generationis Pater est, qua oportet eum non esse Filium : et Filius proprietate nativitatis Filius est, qua oportet eum non esse Patrem. Sic itaque non ex impotentia, sed proprietate generationis Pater generat, qua oportet eum non gigni. Et Filius proprietate nativitatis gignitur, qua oportet eum non gignere.

Filius non potuit generare. — Denique probatur Filium generare non posse. Si enim potuit generare, ergo potuit esse Pater : quod si potuit esse Pater, ergo vel Patris, vel sui, vel Spiritus sancti, vel alterius. At alterius non, quia nullus alius ab æterno esse potuit. Sed neque Patris, quia ingentus et inascibilis est : nec sui, quia nulla res seipsam generare potest : neque Spiritus sancti, quia ipse non potest nasci, alioquin esset alterabilis. Relinquitur ergo, quod Filius generare non potuit.

(43) Lib. III, cap. 12.

A *Quomodo Pater et Filius ejusdem sint potentiae.* — Proposita ergo quæstio sic expedienda videtur. Quidquid Pater potest, et Filius, hoc est, quidquid Patris potentiae est subjectum, et Filii potentiae similiter, quia eadem omnino est. Subjecta vero potentiae appellamus ea, quæ ipsam potentiam sequuntur. Generatio autem vel generare, nec præcedit nec sequitur potentiam : simul enim cum ea est ab æterno. Cæterum si conceditur, quod posse generare sit aliquid posse, sic objicitur ? Hoc posse habet Pater, quod non habet Filius : ergo aliquid posse habet Pater quod non habet Filius. Respondetur a simili, hoc esse habet Pater, quod non habet Filius, scilicet esse Patrem : ergo aliquid habet esse Pater quod non Filius, falsum est. Omne enim et totum esse Patris est omnino et Filii. Dicimus autem, quod eadem potentia prorsus est Patris et Filii, licet non penitus quidquid de Patre dicitur, secundum ipsam de Filio dicatur. Quod patet in simili. Idem enim conjugium, penitus est in istis duobus, et tamen secundum ipsum, vir dicitur maritus et non uxor : femina vero uxor, et non maritus : vel ut manifestius dicatur : eadem est omnino voluntas Patris et Filii : ea tamen vult Pater Pater esse, et non Filius. Et Filius vult esse Filius, et non Pater. Sic ergo eadem est Patris et Filii potentia, ea tamen potest Pater generare, et genitus non esse : Filius genitus esse, et non generare. Vel non insubtile est, si quis dixerit Patrem posse generare, hoc non ex sola potentia posse dici, sed ex proprietate etiam generationis. **C** Quæ cum Filio non conveniat, nulli mirum, si posse generare ei non convenit.

Qualiter potentiam generandi habeat Filius. — Si autem dicitur, Filius habet potentiam generandi, sic distingue. Habet potentiam generandi, hoc est, ut generet, vel generare possit : falsum est. Habet autem potentiam generandi, qua scilicet generatur, vel generari potest.

Impersonaliter verum est. Sicut habes scientiam scribendi, hoc est, qua scis scribere, falsum : sed qua scitur scribere, verum. Dicimus etiam, quod in progressu prædictæ oppositionis, scilicet, quidquid potest Pater, et Filius : sed Pater potest generare, ergo et Filius. Hoc verbum, potest, aliter in propositione, aliter in assumptione, vel conclusione accipitur. Sicut hæc verba, *Deus, et, est*, in diversis locis posita, aliter et aliter significant. Exempli causa, omne quod Deus Pater est, idem Deus Filius est ; sed Pater est Deus generans, ergo et Filius est Deus generans, non sequitur. Item, quidquid est Pater, et Filius ; sed Pater est generans, ergo et Filius est generans, non sequitur. Ideo, quia hæc verba, *Deus, et, est*, in propositionibus essentialiter significant. Deinde vero personaliter consignant. Sic igitur prædicta quæstio multis modis solvitur. Et Filium non posse generare, sed gigni : Patrem au-

(44) Aug. ad Maxim.

tem generare posse, et non gigni, vere creditur et intelligitur.

Dis. VIII. — Nunc de veritate divinæ essentiae agendum est. Est itaque Deus sine dubio substantia, vel si melius dicatur, essentia, quam Græci οὐσία vocant. Sicut enim ab eo, quod est sapere, dicta est sapientia, et ab eo quod est scire scientia, ita ab eo, quod est esse, dicta est essentia. Et quis major est illo qui dixit: *Ego sum qui sum*; et: *Qui est, misit me ad vos?* (Exod. III.) Ipse, inquam, vere et proprie dicitur esse, cujus essentia non novit præteritum, nec futurum. Unde Hieronymus scribit ad Marcellam (45): Deus solus qui exordium non habet, veræ essentiae nomen tenet. De quo enim dicitur, fuit, non est: et de quo dicitur, erit, nondum est. Deus autem tantum est: qui non novit fuisse, vel futurum esse. Solus igitur Deus vere est, cujus essentiae comparatum nostrum esse nihil est.

Cæterum his occurrunt, quæ frequenter Scriptura commemorat: Deus fuit ab æterno, fuit semper, et erit in sæcula, et hujusmodi. Augustinus etiam super Joannem ait (46): Quum de sempiterna re proprie dicatur, *est*, secundum nos bene dicitur, *fuit*, et *erit*. *Fuit*, quia nunquam desiit; *erit* quia nunquam desinet; *est*, quia semper est; non præteriit, quasi quod non maneat; non erit, quasi quod non erat, qualiter de nobis non dicitur. Secundum hæc ergo verba Hieronymum intelligentes dicimus: Non novit fuisse vel futurum esse, hoc est, non præteriit, neque desinet esse, sed tamen est tantum, quia semper est.

Licet enim verba substantiva diversorum temporum de Deo dicantur, non tamen temporales motus esse distinguunt, sed essentiam Divinitatis simpliciter insinuant. Deus ergo solus, et proprie naturaliter dicitur essentia vel esse. Unde Hilarius (47): Non est Deo accidens esse, sed subsistens veritas et manens causa et naturalis generis proprietates.

Deus est incommutabilis. — Quæ essentia Dei, proprie incommutabilis est, quia nec mutatur, nec mutari potest. Unde Augustinus (48): Aliæ, inquit, essentiae vel substantiæ capiunt accidentia, quibus in eis fiat immutatio. Deo autem nihil horum accidere potest, ideoque ejus sola substantia vel essentia incommutabilis est.

Omnis creatura mutabilis. — Ac per hoc Apostolus de Deo ait: *Qui solus habet immortalitatem* (I Tim. VI), eam intelligens immutabilitatem, quam nulla habere potest creatura, quoniam solius Creatoris est. Unde Jacobus apostolus: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (Jacob. I). Et David: *Mutabis eos et mutabuntur, tu autem idem ipse es* (Psal. CI). Et alibi: *Ego Deus*

et non mutor (Malach. III). Cæterum omnis creatura mutabilitati subjacet, quæ, ut ait Augustinus (49), nonnulla mors ipsi creaturæ est, quia facit aliquid in ea non esse, quod erat. Siquidem ipsa anima humana, licet immortalis sit, quia secundum suum modum nunquam vivere desinit, habet tamen mortem suam, quia si juste vivebat, et peccat, moritur justitiæ; si peccatrix erat, et justificatur, moritur peccato, at alias ejus mutationes taceam. Et creaturarum natura cælestium mori potuit, quia peccare. Etenim angelorum quidam peccaverunt, et qui non peccaverunt, peccare potuerunt. Nihil autem Deo tale accidere potest, Quare cum solus Deus sit immutabilis proprie, solus etiam vere est immortalis.

Simplicitas Dei. — Eadem quoque divina essentia proprie ac vere simplex est, quia in ea nec partem, nec accidentium seu quarumlibet formarum ulla diversitas, sive variatio vel multitudo est, quod in nulla creatura contingit. Quippe, ut Augustinus ait (50): Corporalis creatura partibus constat: ita ut ibi sit alia pars major, alia minor; et ipsum totum majus sit, quam pars quælibet. In qua etiam aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura: quæ omnia in corpore multipliciter faciunt.

Creatura est multiplex. — Spiritualis quoque creatura multiplex est. Quippe anima licet corpori comparata, sit simplex, ea quod particulatim per spatia loci non diffundatur, sed ubicunque est, tota est: tamen nec in ipsa, vera simplicitas est.

Cum enim aliud sit artificiosum esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, possintque hæc et alia innumerabilia in animæ natura inveniri, constat ipsam non simplicem esse, sed multiplicem, quum nihil horum sit anima, sed hæc ipsa habeat. Denique quidquid in Deo est, Deus, unde et ejus simplicitas apparet, præsertim cum idem sit habitum, et quod habet. Non enim propter hoc naturam summi boni simplicem dicimus, quia est Pater in ea solus, vel Filius in ea solus, vel Spiritus sanctus solus, hoc est, quia sola est ista nominum trinitas, sive subsistentia personarum, sicut Sabelliani putaverunt (51). Sed ideo simplex dicitur, quia est hoc quod habet, excepto (quod) relative, quæque persona dicitur ad alteram, nec est ipsa. Nam utique Pater habet Filium, ad quem relative dicitur, nec tamen est Filius. Et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo vero ad semetipsum dicitur, non ad alterum, hoc est, quod habet. Sicut ad semetipsum dicitur vivus habendo vitam, et eadem vita ipse est, quod in aliis rebus non contingit. Neque enim habens liquorem, liquor est; nec corpus, color; nec anima est sa-

(45) Attingit quidem Hier. ibi et ad Damasum, sed ad verbum est in Isidoro lib. VII Etym. cap. 1.

(46) Tract. 99, super Joan. c. XVI.

(47) Lib. VII, de Trin. non longe a principio.

(48) De Trin. lib. V, cap. 2.

(49) Contra Maximinum, lib. III, cap. 12.

(50) De Trin. lib. VI, cap. 6.

(51) Aug. lib. XI, De civitate Dei, cap. 10.

piencia, sed tantum habens eam. Ac per hoc solus A Deus vere et proprie simplex est.

Deus multipliciter dicitur. — Deus tamen multipliciter dicitur, ut sapientia, justitia, prudentia, et sanctitas, et si quid tale non indigne de Deo dicatur. Hoc autem ideo est, quia multiformiter operatur Deus in rebus, non quod in ipso sit multiplicitas ulla; etenim quamvis unum sit in subjacenti, Deus: pro varietate tamen sensuum, multis vocabulis nuncupatur. Aliud autem signat sapientia, aliud autem scientia, justitia, et sic de cæteris. Sapientia nempe est, quia de disciplinis divinarum humanarumque rerum instruit: justitia est, quando iudex et distributor meritorum intelligitur: prudentia est, quando doctrina vel demonstratio bonarum malarumque, verarum et falsarum rerum, vel neutrarum, cognoscitur. Porro sanctitas est, quia ipse firmamentum, et confirmatio omnium rerum. Hoc autem et si quid tale de Deo dicitur, præter accidentium respectum intelligitur. Cum et nos moneat Augustinus (52): Intelligamus, inquit, in quantum possimus, Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsentem, sine ambitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine mutatione sui, mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum sic cogitat, licet nondum invenerit omnino quid sit, pie tamen caveat, aliquid sentire de illo, quod non sit.

Tanta est Dei simplicitas, ut nulli prædicamentorum subjiciatur. — Propterea prædicamentorum legibus atque accidentibus Deus non est subjectus. Ideoque nec proprie substantia dicitur: Quippe cum ab eo quod est subsistere, substantiam dicamus: quod recte dicitur de his rebus, in quibus subjectis sunt ea, quæ in subjecto esse dicuntur, ut color in corpore, quod nefas est dicere de Deo. Quocirca abusive substantia, magis proprie et vere Deus est et dicitur essentia.

DIST. IX. *De proprietatibus personalibus Trinitatis et unitatis.* — Nunc ad distinctionem personarum accedentes, confiteri debemus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum, nec Patrem tamen Filium; nec Filium Patrem. Sequitur enim cum a Patre genitus sit Filius, alius profecto est Pater, alius Filius (53).

De coæternitate Filii cum Patre. — Nec tamen ante fuit Pater, quam Filius, sicut hæreticus mentitur: sunt enim coæternæ sibi tres personæ. Denique Scriptura dicit: *Ante me non fuit alter Deus, nec post me erit* (Isa. XLIII). Hæc verba si Patris sunt, dicit, quia post se non est alius Deus; si vero Filii, dicit, quia ante se nullus Deus est. Itaque nec iste anteriorem habet, nec ille posteriorem. Præterea si Pater fuit antequam haberet Filium,

tunc accessione generationis, Pater mutatus est quod blasphemia est (54). Item cum Filius sit sapientia, et virtus Patris: si aliquando fuit sine Filio Pater, fuit et tunc sine sapientia, et virtute sua Pater, quod non minus profanum quam stolidum sit dicere (55).

Apta similitudo. — Constat enim Patri Filium esse coæternum, velut splendor, qui ab igne diffunditur, coævus est ei, et esset utique coæternus, si ignis esset æternus. Cæterum, hoc ineffabile, sicut et ipsa generatio. Unde Isaias: *Generationem ejus quis enarrabit?* (Isa. LIII.) Divinam autem non humanam intelligit, quamvis et hæc ex magna parte sit inenarrabilis. Illa tamen tota inenarrabilis est, quia etsi dicitur Filius a Patre genitus, tamen qualiter, nec Apostolus nec propheta novit, nec angelus.

Utrum debeat dici, semper gignitur, an semper genitus est Filius. — Quæritur autem utrum debeat dici, Filius semper nascitur. De hoc Gregorius ita dicit (56): De Domino Jesu non possumus dicere, semper nascitur, ne imperfectus esse videatur. At vero ut æternus designari valeat, et perfectus, et, semper, dicamus, et, natus, quatenus, natus, ad perfectionem, semper, ad æternitatem pertineat.

Origenes contradicit supradictis. — Origenes vero contradicere videtur his verbis (57): Salvator noster splendor est claritatis, qui non semel nascitur et desinit, sed toties oritur, quoties lumen ortum fuerit de quo nascitur, sic ergo semper Salvator nascitur.

Concordat Origenem et Gregorium. — Nos tantorum virorum in re tanta dissonantiam quæ videtur, ad concordiam revocantes, putamus utrumque auctorem, ex usu locutionis aliquid habuisse suspectum. Quippe dicentes, lectio semper legitur, lectionis imperfectionem ex usu loquendi ostendimus, quam Gregorius in unigenito negans, ait: Non possumus dicere semper nascitur. Quod se nimirum intellexisse ostendit, per hoc, quod subdit: Ne imperfectus esse videatur. Similiter dum lecta est lectio, dicimus, olim legi eam, nunc autem eam desiisse legi, ex modo loquendi significamus. Quod Origenes in nativitate Verbi abhorrens, ejus asserit perpetuitatem dicens: Salvator semper nascitur: quod manifeste aperit, dum, non semel nascitur et desinit, præmittit. Diverso ergo genere loquendi, varios errores excludentes, nativitatem Filii ab æterno perfectam, et sempiternam esse affirmant.

Sed inquit hæreticus: Omne quod natum est, non fuit semper, quia ad id natum est ut esset. Cui dicimus: Nemo ambigat, hoc sic se habere in humanis. Nimirum ibi nec fuit, qui pater est; nec semper pater est, qui fuit. Quare nec semper ge-

(52) De Trin. lib. v, cap. 1.

(53) August., De fide, ad Petrum, cap. 1.

(54) Ambr., lib. II, De fide ad Grat. cap. 5, circa med.

(55) Aug., lib. VI, De Trin. cap. 1.

(56) Lib. XXIX Moralium, cap. 1.

(57) Super Heremiam. Homil. lib. VI, super totum, caq. 11: Reversi sunt.

nuit. Ubi autem semper pater est semper filius **A** bis (*Matth. xviii*). Et alibi; *Spiritus qui a Patre procedit* (*Joan xv*). Per hæc et his similia constat Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere: quod multi hæretici negaverunt.

Quid Patri et Filio proprium. — Quod si semper Deo Patri proprium est, quod semper Pater est, semper Filio proprium esse est necesse, quod semper natus est. Natum igitur confitemur Unigenitum, nec ante esse quam natum, nec ante natum quam esse. Hoc sane humanum sensum et intelligentiam mundi excedit, neque capit hoc ratio humanæ intelligentiæ, sed prudentiæ fidelis professio est.

Dist. X De personali processione Spiritus sancti. — Nunc de Spiritu sancto, ipso donante disseramus. Spiritus sanctus itaque est amor, vel dilectio Patris et Filii, quo uterque conjungitur, quo genitus a gignente diligitur, genitoremque suum diligit, suntque non participatione, sed essentia sua; neque dono superioris alicujus, sed suo proprio, *servantes unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes. iv*). Non est enim tantum Patris vel Filii, sed amborum spiritus. Et ideo communem qua invicem diligunt, nobis insinuant charitatem (59).

Spiritus sanctus proprie appellatur charitas. Tota Trinitas est charitas. — Appellatur autem proprie charitas: quippe cum ipse sit, quo Pater et Filius invicem diligunt, ineffabilem communionem demonstrat amborum. Quid ergo convenientius, quam ut ille proprie dicatur charitas, qui spiritus est communis ambobus (60)? Non hoc tamen sic dicimus, ut Patrem et Filium charitatem esse negemus. Sicut enim unicum Dei Verbum proprie dicitur sapientia, cum sit communiter, et Spiritus sanctus et Pater ipsa sapientia, ita Spiritus sanctus proprie charitas nuncupatur, cum sit Pater et Filius communiter charitas. Verbum autem dictum est sapientia, ore Apostoli dicentis. Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam (*I Cor. viii*). Item Spiritus sanctus dicitur charitas in epistola Joannis, inquit enim: *Deus charitas est* (*I Joan., iv*), quod de Spiritu sancto proprie accipi Augustinus manifeste probat.

Tertia persona proprie dicitur Spiritus sanctus. — Præterea et ipse proprie Spiritus sanctus dicitur. Licet enim Pater et Filius sint, Spiritus et uterque sanctus, non tamen frustra, et ipse proprie dicitur Spiritus sanctus. Qui enim est communis ambobus, ipse merito vocatur proprie, quod ambo communiter (61).

Dist. XI. Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere. — Qui Patris et Filii Spiritus est, procedit ab utroque, sicut testimoniis Scripturarum probatur. Dicit enim Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra.* (*Galat. iv*.) Et alibi: *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom viii*). Ipse etiam Filius de eo sic testatur: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vo-*

bis (*Matth. xviii*). Et alibi; *Spiritus qui a Patre procedit* (*Joan xv*). Per hæc et his similia constat Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere: quod multi hæretici negaverunt.

Quid Græci sentiant. Principalia concilia determinarunt de processu Spiritus sancti. — Græci autem non fatentur Spiritum sanctum a Filio procedere, his inducti causis scilicet, quia dum Veritas dicit: *Spiritus qui a Patre procedit*, Patris tantum nomen, et non Filii meminit. Item quod in symbolo eorum a Patre commemoratur Spiritus sanctus procedere, non etiam a Filio, quæ, inquam, in principalibus conciliis, sub junctis anathematibus, ita sunt facta, ut nulli de Trinitatis fide, aliud docere vel prædicare liceat, quam ibi continetur. Unde etiam anathematis vinculo reos arguere audent, quos Spiritum sanctum a Filio procedere confiteri sciunt.

Confessio auctoris de processu Spiritus sancti. — Nos autem in æternum hoc constantes, dicimus utique Veritatem, Spiritum a Patre procedere, confiteri: non tamen ita ab eo procedere confiteri, ut etiam a se procedere neget.

Respondet 1 objectioni Græcorum. — Quod autem tantum Patrem nominat, inde est, quia quod ipsius est, etiam non suum esse dicere, sed ad Patrem referre consuevit, ut ibi: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me* (*Joan. vii*). Hoc autem dicit non utique a se negando, sed principii auctoritatem ostendendo esse in Patre.

Respondet 2 objectioni. — Illud autem aliud, quod (62) dicunt, per contrarium est intelligendum, ut sit sensus. Nulli liceat aliud dicere, id est contrarium. Qualiter Apostolus ad Galatas ponit: *Si quis, inquit, aliud evangelizaverit, hoc est contrarium, sicut exponit Augustinus, anathema sit* (*Gal. i*). Non dixit, si quis addiderit, alioquin sibi ipsi præjudicaret qui cupiebat venire ad quosdam suppleturus quæ fidei illorum deerant. Cæterum qui supplet id quod minus dictum, non dicit contrarium ei quod dictum est. Sane sciendum quod licet in præsentis articulo a nobis Græci verbo discordent, tamen sensu non differunt. Confitentur enim Spiritum esse Filii, etsi non a Filio, quia scriptum est: *Spiritus Filii* (*Gal. iv*). Nos autem fideliter idem esse credimus, Spiritum esse Filii, et ab ipso procedere.

Ipsorum etiam Græcorum testimonio docetur Spiritus sanctus ab utroque procedere. — Quod doctorum Græcorum testimonio probatur. Inquit enim Athanasius in symbolo: Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Item dicit Christus: *Non enim loquetur a semetipso, quia de meo accipit* (*Joan. xvi*).

Item Cyrillus (63): Spiritus non est alienus a Filio: Nominatur enim spiritus veritatis, et profluit

(58) Hilarius, l. xii De Trin., habet hanc responsionem.

(59) Aug., l. vi De Trin., cap. 5.

(60) Aug. l. xv. De Trin., cap. 16.

(61) Aug., De Trin. l. xxv, cap. 17.

(62) In conciliis Græcorum.

(63) In epistola Nestorio directa.

ab eo, sicut ex Deo Patre. Item Chrysostomus (64): Spiritum Sanctum dicimus Patri et Filio coequallem, et procedentem de Patre et Filio. Græcis itaque priorum doctorum testimonio correctis, omnis lingua confiteatur Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere.

DIST. XII. *An Spiritus sanctus prius vel plenius procedat a Patre quam a Filio.* — Nec tamen prius et posterius ab alterutro eorum procedere, sicut delirat hæreticus. In illa enim summa Trinitate intervalla temporum non sunt, sine quibus omnino prius et posterius esse non possunt. Nec etiam procedit plenius ab altero quam ab altero, quia sicut a Patre, ita et a Filio procedit Spiritus sanctus. Sic ubi autem legitur proprie vel principaliter a Patre procedere, eo sensu dicitur, quod Pater non ab alio, sed a semetipso habet, quod Spiritus sanctus ab eo procedit. Denique Hieron. (65) ponit proprie, Inquit enim: Credimus in Spiritum sanctum, verum Deum, qui de Patre est et procedit. Augustinus (66) autem ponit principaliter his verbis. Non frustra in hac Trinitate, non dicitur Verbum Dei, nisi Filius, nec donum Dei, nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum Verbum est, et de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater. Sed hoc sic esse intelligendum, ut prædiximus, ipse declarat, dum subdit: Ideo addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit; Patri autem nullus hoc dedit. Ideoque de Patre principaliter procedere confitetur.

De processu Filii a Patre et Spiritus sancti differentia. — Filius quoque de Patre procedit, sicut ipse testatur: *Ego ex Deo processi, et veni in mundum* (Joan. viii). Dissimiliter tamen a Spiritu sancto. Nam Spiritus sanctus, ut Augustinus ait, a Patre procedit, non quomodo natus, sed quomodo datus vel donum. Filius autem procedit nascendo et exit ut genitus. Inter haec sane, et illam processionem, inquit Augustinus (67), distinguere nescio, non valeo, non sufficio: est enim utraque ineffabilis. Sicut enim propheta de Filio loquens, ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* (Isa. liii). Ita de Spiritu sancto verissime dicitur: *Processionem ejus quis enarrabit?*

DIST. XIII. *Cur Spiritus sanctus non dicatur genitus vel Filius.* — Denique Spiritus sanctus licet a Patre Filioque procedat tamen nec genitus dicitur amborum, nec Filius. Enim vero nullus duorum Filius dicitur, nisi patris et matris. Absit autem ut inter Deum Patrem et Deum Filium, aliquid tale suspicemur!

Quæstio an possit Spiritus sanctus dici ingenuus.

(64) In homilia quadam de expositione Symboli.

(65) In expositione catholice fidei.

(66) De Trin., lib. xv, cap. 17.

(67) Contra Maximinum.

(68) In regulis definitionum contra hæreticos.

A — Non autem Spiritus sanctus ingenuus dicitur. Unde Augustinus ad Orosium; Spiritum sanctum nec genitum nec ingenuum dici fides certa declarat. Etsi enim Spiritum sanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audeamus ingenuum, ne in hoc vocabulo, vel duos patres in illa Trinitate, vel duos qui non sunt de alio, quispiam suspicetur. Hieronymus (68) tamen contradicere videtur. Inquit enim Spiritus sanctus Pater non est, sed ingenuus atque infectus.

Solutio per distinctionem. — Cæterum uterque eorum aliter hoc vocabulo ingenuus est usus. Si quidem Augustinus (69) dicit ingenuum, quod de alio non sit, quod aperit dum dicit, vel duos, qui non sunt de alio. At Hieronymus ingenuum dicit, non natum, quod ex universali rerum divisione, quam ponit, probatur. Omne, inquit, quod est, aut ingenuum est, aut factum aut genitum. Idque tractando prosequens, quod dixerat ingenuum, non natum exponit, subjiciens de Spiritu sancto exemplum.

DIST. XIV. *De gemino processu Spiritus sancti. Ipsemet Spiritus sanctus nobis datur.* — Procedit autem Spiritus sanctus, et ab æterno communiter a Patre et Filio: Et ex tempore, ab utroque item communiter, ad sanctificandam creaturam. Quando, inquam, animis hominum infunditur, sensibusque eorum sanctificandis illabitur, sicut ait Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. v). Quippe ipse Spiritus sanctus, ipse tertia in Trinitate persona nobis datur, Augustino testante (78): Eundem enim Spiritum sanctum, inquit, datum, cum insufflasset Jesus in discipulos, de quo mox ait: *Ite, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Joan. xxi), ambigere non debemus. Et infra de eodem: Quomodo ergo non est Deus, qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus est Deus, qui dat Deum? Qui cum sit inaccessibleis natura, receptibilis tamen propter bonitatem suam nobis est, complens virtute sua omnia; sed solis participatur justis. Et infra (71): Angeli ad paucos mittebantur: Spiritus vero sanctus populis infundebatur. Quis igitur dubitet, quin divinum sit quod infunditur simul pluribus, nec videtur? Augustinus quoque ait (72): Magna est misericordia ejus, qui dat donum æquale sibi, quia donum ejus Spiritus sanctus est. His ergo et aliis pluribus auctoritatibus aperte monstratur, ipsum Spiritum sanctum nobis dari, non solum ejus dona; quod quidam Bedæ auctoritate seducti credere recusant. Inquit enim (73): Cum Spiritus sancti gratia datur hominibus, profecto mittitur, et procedit a Patre et Filio Spiritus sanctus, quia ejus missio est ipsa processio. Porro ad

(69) De Trin., l. xv, c. 26.

(70) De Trin., l. xv, c. 26.

(71) Amb. in lib. De Spiritu sancto, cap. 5.

(72) De verbis Domini, sermo 3.

(73) Homilia Dominicæ post Ascens.

hæc dicimus, quia vel non oportet eum tantis auctoritatibus præjudicium inferre, vel quod dicit, aliter sane intelligitur. Mittitur ergo nobis et datur Spiritus sanctus, non ideo tamen minor arbitrandus est, quia eum Pater et Filius mittit (74),

An detur Spiritus sanctus ab hominibus. — Præterea sciendum est Spiritum sanctum ab hominibus non dari, quia cum ejus, donatio supra sit dicta processio, si ab hominibus daretur Spiritus sanctus, utique Creator procederet, vel mitteretur a creatura, quod est absurdum. Unde Augustinus (75). Non aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum sanctum; orabant quippe ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. Et alibi (76): Nos accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere vero super alios, non utique possumus, sed ut hoc fiat, Deum qui id efficit, super eos invocamus.

Sed huic objicitur quod de se loquens Apostolus ait ad Galatas: *Qui tribuit Spiritum et operatur virtutes in vobis (Gal. iii)*. Verum hoc intelligendum est Apostolum dixisse, non auctoritate potestatis; sed ministerio prædicationis. Siquidem eo prædicante illis, Spiritum sanctum visibiliter receperant. Nam ab Apostolo prædicta est eis fides, in qua prædicatione Spiritum sanctum advenisse senserunt. Quippe in novitate invitationis ad fidem, etiam sensibilibus miraculis præsentia sancti Spiritus apparebat.

DIST. XV. Quod Spiritus sanctus a seipso detur. — Etiam Spiritus sanctus seipsum dat. Cum enim donatio Spiritus sancti sit operatio Dei: Communisque sit et indivisa trium personarum operatio donatur utique Spiritus sanctus, non tantum a Patre et Filio, sed etiam a seipso. De quo Augustinus ait (77): Ita datur Spiritus sanctus sicut Dei donum, ut etiam seipsum det sicut Deus. Nec etiam dici potest non esse suæ potestatis, de quo dicitur, Spiritus ubi vult spirat. Ac per hoc Spiritum sanctum a seipso dari constat.

De missione Filii etiam a seipso. — Hic considerandum est, quod cum tres sint in Trinitate personæ, Pater solus nusquam legitur missus, sed Filius, et Spiritus sanctus. Missus est autem Filius a Patre, ut Apostolus dicit: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere (Galat. iv)*, ubi satis ostendit, eo ipso missum Filium, quo ex muliere factum. Et a Spiritu sancto missus est, Isaia dicente: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit Dominus me, evangelizare misit me pauperibus, prædicare captivis remissionem (Isa. lxi)*. Et etiam a seipso. Nam Isaia habet: *Filius datus est nobis (Isa. ix)*: cum enim non diffinitum sit per prophetam a quo datus sit

A Filius, ostenditur gratia Trinitatis datus. Unde etiam ipse Filius se dedit, ut Augustinus ait (78): *Com una voluntas sit Patris et Filii, et inseparabilis operatio, ergo a Patre et Filio missus est, idem Filius non separato Spiritu sancto, quia a Patre et Verbo ejus factum est, ut mitteretur, hoc est, ut incarnatus hominibus appareret.*

Sed si hoc est: Cur ergo ait, *A meipso non veni?* (Joan. viii.) hoc autem dictum est, secundum formam servi, secundum quam non fecit ut mitteretur, id est non est operatus incarnationem, sed secuncum formam Dei.

Duodus modis Filius mitti dicitur. — Denique de duobus modis mittendi Filium Augustinus distinguit dicens (79): Non eo ipso quo de Patre natus est missus dicitur Filius: sed vel eo, quod apparuit huic mundo, Verbum caro factum. Unde dicit: *Exivi a Patre et veni in mundum (Joan. xvi)*: vel eo, quod ex tempore, cujusquam mente percipitur. Sicut dictum est de Sapientia: *Emitte illam de caelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret (Sap. ix.)*

Declarantur verba August. — Cæterum secundum primum modum semel, et in hunc mundum, et ut homo esset, missus est. At secundum alium, sæpe: et non in hunc mundum, nec ut homo sit, sed ut cum homine sit, mittitur. Quod Augustinus aperit, dicens (80): Aliter mittitur ut sit cum homine, aliter missa est sapientia Patris, ut sit homo. In animas enim sanctas se transfert, et amicos Dei constituit, Sed cum venit plenitudo temporis missa est, non ut esset cum hominibus, ut antea erat cum patribus et prophetis, sed ut ipsum Verbum fieret caro, hoc est, homo.

DIST. XVI. Filius quatenus est homo, Patre et Spiritu sancto et seipso est minor. — Denique secundum quod factus est homo, Filius minor est Patre. Ipse enim dicit: *Pater major me est (Joan. xiv)*. Quod propter formam servi Veritas dicit, secundum quam etiam minor Spiritu sancto, et seipso dicitur. Unde Augustinus (81): Non sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri. In forma ergo Dei, unigenitus Patris æqualis est Patri: in forma vero servi, etiam se minor, id est Dei Filius æqualis est Patri, secundum formam in qua est: secundum formam vero, quam accepit, non modo Patre, sed et Spiritu sancto, imo etiam se minor inventus est. Nec hoc tantum, sed etiam ab angelis paulo minus minoratus est.

Quod Pater major sit Filio, nec tamen Filius minor Patre. — Hilarius (82) autem secundum etiam formam Dei, propter generationis auctoritatem, Patrem esse majorem Filio, nec tamen Filium mino-

(74) Aug., De Trin., l. iv, cap. ult.

(75) Aug., De Trin.

(76) Ibid.

(77) De Trin, l. xv, cap. 49.

(78) De Trin. l. ii, cap. 6.

(79) De Trin. l. iv, cap. 20.

(80) De Trin. lib. iv, cap. 20.

(81) De Trin. lib. vii, c. 1.

(82) Lib. ix de Trin.

rem patre, dicere videtur his verbis. Major est utique Pater Filio, auctoritate donantis, cui tantum donat esse, quantus est ipse: cui innascibilitatis esse imaginem, sacramento nativitatis impartit, quem ex se in forma sua generat. Major itaque donans est, sed minor jam non est, cui unum esse donatur: ait enim: *Ego et pater unum sumus* (Joan. x). Vide, lector, sane Hilarii verba, quæ ubicunque occurrerint, diligenter nota, pieque intellige.

Duobus modis missus Spiritus sanctus visibiliter et invisibiliter. — (83) Spiritus quoque sanctus visibiliter et invisibiliter legitur missus. Visibiliter enim missus est, quando facta est quædam creaturæ species ex tempore, in qua visibiliter ostendetur Spiritus sanctus: sive cum in Dominum ipsum corporali specie columbæ descendit; sive cum in die Pentecostes, factus est subito de cælo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et visæ sunt illis linguæ divisæ sicut ignis, qui et insedit super unumquemque illorum. Hæc operatio visibiliter expressa et oculis oblata, mortalibus missio Spiritus sancti, dicta est visibilis.

Quare, cum Filius ex humana forma qua apparuit, minor Patre dicatur, non etiam Spiritus sanctus minor dicitur. — Sed quæritur, si Filius in quantum est missus, factus minor est Patre, cur ergo Spiritus sanctus non dicitur minor Patre, cum et ipse creaturam assumpsit, in qua et apparuit? Quia aliter assumpsit Spiritus creaturam, in qua apparuit, aliter Filius; nam Filius accepit per unionem, Spiritus vero non. Nec enim illam columbam vel illum flatum, vel illum ignem Spiritus sanctus beatificavit, sibi que in unitatem personæ conjunxit in æternum, sicut assumptus est Filius hominis: in qua forma, ipsius Dei verbi persona præsentaretur, non ut esset Verbum in carne, hoc est, in homine, sed ut esset Verbum caro, id est, homo. Caro enim posita est pro homine in eo quod ait: *Verbum caro factum est* (Joan. i). Ideoque nusquam scriptum quod Deus Pater major sit Spiritu sancto, et Spiritus sanctus minor Patre.

DIST. XVII. De invisibili Spiritus sancti missione. — Qualiter Spiritus sanctus invisibiliter mittatur, dicendum est. Ut autem id intelligibiliustratur, quod Spiritus sanctus fraterna dilectio sit præmittamus. Etenim sic esse Augustinus ita docet:

(83*) Nemo dicat. Quid diligam non novi, diligat fratrem, et diligat eandem dilectionem: magis enim novit dilectionem qua diligit, quam fratrem quem diligit. Ecce jam potest notioem habere Deum quam fratrem: plane notioem, quia præsentioem, quia interiorem, quia certioem. Id ipsum quoque aperius probat Augustinus exemplo Joannis. Ait enim Joannes: *Diligamus nos invicem quia dilectio ex Deo est: qui non diligit, non*

(83) Aug., De Trin. lib. II, c. 2.

(83*) Hic Bandinus et Lombardus non tenentur cum docent Spiritum sanctum esse charitatem qua diligimus Deum et proximum,

A cognovit Deum, quia Deus dilectio est (I Joan. IV). Ista contextio satis declarat aperte eandem ipsam fraternam dilectionem, qua diligimus invicem, non solum ex Deo, sed etiam Deum esse. Cum ergo de dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus fratrem. Est ergo fraterna dilectio Deus.

Spiritum sanctum simpliciter dici charitatem, — Cæterum ne hoc putes per causam esse dictum, velut *Deus patientia mea* (Psal. LXX). Inquit Augustinus (84): Dictum est Deo, tu patientia mea, non utique ideo quod Dei substantia sit nostra patientia, sed quia ab ipso nobis est. Unde: *Ab ipso est patientia nostra* (Psal. LXI). Non autem sic dicturi sumus charitatem, dictam esse Deum. Nec enim dicitur: Deus charitas mea, aut tu es charitas mea, sicut dicitur, Deus spes mea, tu patientia mea. Sed ita dictum est: *Deus charitas est* (I Joan. IV, 8): sicut dicitur, Deus spiritus est.

Charitatem proprie Deum Spiritum sanctum dici, non Patrem nec Filium. — Cum autem fraterna dilectio sit Deus, nec Pater nec Filius, sed tantum Spiritus sanctus, qui proprie dilectio vel charitas dicitur. Quippe si in donis Dei, nihil charitate majus est, et nullum est majus donum Dei, quam Spiritus sanctus, quid consequentius est, quam ut ipse sit charitas, quæ Deus est et ex Deo, ut prædictum est. Hoc qui non discernit, intellectum a Domino, non expositionem quærat a nobis. Non enim apertius quidquam dicere possumus.

Quomodo Spiritus sanctus mittatur, ut detur nobis Deus — Tunc ergo mitti et dari dicitur Spiritus sanctus, cum ita in nobis est, ut faciat nos diligere Deum et proximum, per quod manemus in Deo, et Deus in nobis. Unde Augustinus (85): Deus Spiritus sanctus qui procedit ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum ad diligendum Deum et proximum. Est enim ipse dilectio, per quam infunditur in cordibus nostris Deus charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. Quo circa rectissime Spiritus sanctus cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei, quod donum proprie, quid nisi charitas intelligendum est (86)?

His autem quæ dicimus sic opponitur. Charitas non habenti datur. Si ergo Spiritus sanctus charitas est, etiam non habenti datur. Sed quomodo datur non habenti, cum ipse, ut Deus, sit ubique? Sane ubique est, et in omni creatura totus. Sunt tamen multi qui eum non habent; non enim omnes Spiritum sanctum habent; in quibus est ipse. Alioquin etiam et bruta Spiritum sanctum haberent, quod fidei pietas non admittit.

Augeaturne et minnatur charitas. Item charitas augetur et minuitur, et ita mutabilis est, quod absurde dicitur. Cui respondentes dicimus hoc non simpliciter concedi debere, sed cum hac adjectione,

(84) De Trin., l. xv, c. 17.

(85) De Trin., l. xv, c. 17.

(86) Hic Bandinus non communiter, sicut nec Magister.

scilicet nobis, vel in nobis, in quibus utique augetur vel minuitur charitas, vel Spiritus sanctus, velut Deus in nobis, non utique in se exaltari potest. Unde *accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus* (Psal. LXIII). Ubi dicit Cassiodorus, quod Deus non in se, sed in corde hominis grandescit. Porro ut verius dicamus, non in nobis charitas, sed nos augemur in ea. Unde August. (87): Probet se unusquisque quantum in illo profecerit charitas, vel potius quantum ipse in charitate profecerit. Nam si charitas Deus est, nec proficit, nec deficit.

An fraterna charitas sit Deus. — Sane quidam concedentes, quod Deus charitas est fraternam charitatem Deum esse negant: scripturis Patrum abutentes, quibus aliam esse charitatem, qua Deus nos diligit, et aliam qua nos diligimus eum, delirant. Inquiunt enim, habet Augustinus (88): Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut Domini salus dicitur, qua salvat: et fides Christi, qua nos fideles facit. Quibus dicendum est Augustinum non sensisse his verbis aliam atque aliam Dei charitatem esse, sed cum una sit, eademque diversas rationes, quibus in Scriptura Dei charitas appellatur, significasse. Dicitur enim Dei charitas, vel quia ea Deus nos diligit, vel quia nos ea sui dilectores facit. Est ergo prædictorum verborum sensus: *Charitas* ibi, hoc est, in Apostolo dicta est *charitas Dei* (Rom. v). Non secundum quod Deus nos ea diligit, sed secundum quod nos ea sui dilectores faciat. Ut autem ex tali sensu hoc dici posset, per simile locutionis genus ostendit ut Domini salus, qua nos salvat, etc.

An eit alia atque alia charitas. — Item, inquiunt, habet Augustinus alibi (89): Cum Joannes commemorasset Dei dilectionem, non qua nos eum, sed qua ipse, inquit, dilexit nos. Volentes per hoc aliam atque aliam asserere dilectionem. Nos autem etiam hæc ad superiorem redigentes sensum, sic ea intelligenda esse dicimus: Quasi commemoravit dilectionem Dei Joannes, non secundum quod ea nos diligimus Deum, sed secundum quod ipse diligit nos.

Ratione probatur Spiritum sanctum non esse charitatem. — Item fortius urgentes dicunt: Unde est dilectio, nisi et unde ipsa fides, id est a Spiritu sancto? Si vero ab ipso charitas est, et ipse ea est, ergo et Spiritus sanctus a seipso est. Nos autem fatemur Spiritum sanctum a seipso esse, non simpliciter, quia tunc videtur dici sine principio esse. Sed adjiciendum est, nobis, quibus scilicet seipsum dat Spiritus sanctus. Quo sensu etiam

(87) In homilia 9 super epistolam Joan.

(88) Aug., De spiritu et littera, cap. 32.

(89) Lib. XIII, De Trin., c. 17.

(90) De doct. Christ. lib. III, cap. 10.

verum est, quod charitas a Spiritu sancto est.

Idem aliter probant. — Præterea veritati adhuc contradicentes, dicunt: Si Spiritus sanctus charitas est, ergo ipse motus animi et affectio est, cum charitas hæc sit. Inquit enim Augustinus (90): Charitatem voco motum animi, ad fruendum Deo et se ac proximo, propter ipsum Deum. Item ubi dicitur: *Nihil poterit nos separare a charitate Dei* (Rom. VIII). Charitas Dei, inquit (91), hic dicta est virtus quæ animi nostri rectissima affectio est. Ad quod dicimus, hoc dici non proprietate essentiali, sed ratione efficientiæ. Sicut enim dicitur: Deus spes nostra et patientia, non quia ea sit, sed facit, ita et charitas dicitur esse motus sive affectio animi; quia per eam movetur, et afficitur animus ad diligendum Deum. Quamobrem frigida, jejunaque calumnia inimicorum veri repulsa, libere confitemur charitatem Spiritum sanctum esse. Irascantur ipsi quod Deus est et Dei donum, per quod multa dona singulis quibusque propria dividuntur.

DIST. XVIII. An eadem ratione Spiritus sanctus dicatur donum et datum. Aliter donum, aliter donatum dicitur Spiritus sanctus. — Qui etiam donum vel donatum dicitur diversa ratione. Donum enim dicitur eo quod procedit: donatum autem eo quod datum sit. Unde Augustinus (92): Spiritus sanctus donum est Patris et Filii, quia ab utroque procedit. Semper procedit Spiritus sanctus et non ex tempore. Sed quia sic procedebat, ut esset donabile, jam donum erat antequam esset cui daretur. Aliter enim intelligitur donum, aliter donatum. Nam donum potest esse etiam antequam detur. Donatum vero, nisi datum fuerit, nullo modo potest dici. Sempiternæ ergo Spiritus est donum, temporaliter vero donatum.

Quatenus donum, et quatenus donatum Spiritus sanctus et quo referatur. Quomodo Spiritus sanctus sit noster. — Proinde secundum quod donum est Spiritus sanctus, ad Patrem refertur et Filium. Secundum vero quod donatum est vel datum, et ad eum qui dedit, refertur, et ad eos quibus datur. Unde Augustinus (93): Quod datum est, et ad eum qui dedit, refertur, et ad eos quibus dedit: ita Spiritus sanctus non tantum Patris et Filii qui dederunt, sed etiam noster, qui accepimus, dicitur. Sicut scriptum est de Joanne, quod *in Spiritu venerit Eliæ* (Luc. 1). Moysi quoque Dominus, ait: *Tollam de Spiritu tuo, et dabo illis* (Num. XI). De Spiritu sancto loquens, quem jam dederat ei.

Quomodo Filius dicatur noster. An Spiritus sanctus dicatur nostrum donum. — Sed quæritur, utrum Filius, cum sit nobis datus, Filius possit dici noster? Cui dicimus, quod Filius noster Deus, noster redemptor, et hujusmodi, non autem noster Filius dicitur. Quippe cum Filius relative tantum

(91) Aug., lib. I, De moribus Ecclesiæ cap. 11.

(92) De Trin. lib. V, c. 15.

(93) De Trin. lib. V, c. 14.

ad illam qui genuit dicatur, Patris tantum, non noster Filius dicitur. Sed nec Spiritus sanctus, noster Spiritus sanctus dicitur, vel nostrum donum. Cum utrumque sempiterna relatione, tantum dicitur ad Patrem et Filium. Inde est quod nusquam in Scriptura occurrit ita dici, Spiritus sanctus noster, vel tuus, vel illius. Hinc enim Augustinus ait (94): Quod de Patre natum est, ad Patrem solum refertur, cum dicitur Filius. Ideoque Filius Patris est, et non noster. Dicimus tamen panem nostrum da nobis, sicut Spiritum nostrum. Est enim Filius noster panis, quia et nos reficit. Spiritus vero sanctus, noster Spiritus, quia a Patre et Filio inspiratur, et in nobis spirat, sicut vult.

Filii et Spiritus sancti collatio. — Postremo sciendum est quod sicut Filius nascendo habet, ut omnino sit, ita et Spiritus procedendo. Unde Augustinus (95): Filius, non hoc tantum habet nascendo, ut sit Filius, sed ut omnino sit. Sicut autem Filio præstat essentiam de Patre generatio, ita Spiritui sancto de utroque processio. Non autem hoc dicimus, quod Filius nativitate sit essentia, ut Spiritus sanctus processione: cum alibi dicatur (96), quod nec Pater eo Pater est, quo Deus: nec Filius eo Filius, quo Deus: nec Spiritus sanctus eo donum, quo Deus.

Dist. XIX. De æqualitate trium personarum. — His quippe nominibus eorum relativa ostenduntur, non essentia. Sed quia sicut Filius nascendo, omnia quo sempiternæ est, accepit a Patre, ita et Spiritus, procedendo accepit ab utroque (97.)

Post coæternitatis trium personarum tractatum, de earundem æqualitate dicere superest. Fides enim catholica, sicut coæternas, ita et coæquales tres asserit personas. Quæ æqualitas, in quo notanda sit, docet Augustinus dicens (98): Nullus horum alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Quæ tria, licet quasi diversa enumerentur, idem sunt tamen in Deo, essentia scilicet divina. Unde Augustinus (99): Non alio magnus, alio Deus est. Eadem quippe ejus magnitudo est, quæ et essentia. Item: Voluntas et potentia Dei, ipse Deus est. Item æternitas Dei, ipsa ejus substantia est, nihil mutabile habens. In his ergo trihus verbis, trium æqualitatem personarum breviter complexus est Augustinus (99*).

Quod una persona non sit major alia. — Sicut autem æternitate nulla trium personarum aliam præcedit, ut dictum est, ita nec magnitudine alia excedit aliam, de quo dicendum est: Pater enim non est major Filio, nec major Spiritu sancto. Nec majus aliquid duæ vel tres personæ simul quam una; nec major essentia est in duabus aut tribus, quam

A in una, quia tota est in singulis. Unde Joannes Damascenus (100): Confitemur deitatis naturam omnem perfecte esse in unaquaque suarum ὑποστάσεων hypostaseon, hoc est, personarum. Ideoque perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus sanctus. Unde Augustinus (101): Propter naturalem unitatem, totus Pater in Filio, et Spiritu sancto est: totus quoque Spiritus sanctus in utroque est. Inde est etiam, quod Pater dicitur esse in Filio, et Filius in Patre, et Spiritus sanctus in utroque. Hoc autem manifestius insinuat Hilarius dicens (102): Affert plerisque obscuritatem sermo Domini cum dicit: *Ego in Patre, et Pater in me est* (Joan. xiv). Sane intelligendum est Patrem in Filio, et Filium in Patre esse, plenitudo in utroque divinitatis perfecta est. Omnia enim Filius accepit a Patre. Nam si Patrem ejusdem qui genuit accepit, neuter perfectus est, deesset enim ei unde discessit. Nec plenitudo in eo erit qui ex portione constiterit. Quod cum sit absurdum, confiteamur eandem in utroque, et virtutis similitudinem, et Deitatis plenitudinem. Quia Veritas dicit: *Ego in Patre, et Pater in me est* (Joan. xiv). Et hoc ergo sensu intelligitur Spiritus sanctus esse in utroque, et singula personarum in singulis, quia eadem plenitudo divinitatis, et similitudo naturæ in singulis comprobatur esse personis.

Dist. XX. Quod una persona aliam non superat potentia. — Similiter Pater non est potentior Filio, vel Spiritu sancto; nec duo aut tres simul, quam singuli eorum. Quod autem Pater non sit potentior Filio, ita probat Aug. contra Maximinum (105), qui Patrem dicebat Filio potentior. *Omnia inquit Filius, quæ habet Pater, mea sunt* (Joan. xvi). Atque omnipotentiam habet Pater: Ea igitur Filii est, æqualis ergo est Patri Filius. Quod si negatur, sic probat Augustinus contra eundem (104), qui Patre minorem Filium falso dicebat. Tu, inquit, dicis, quod Pater genuit Filium minorem seipso, in quo et Patri derogas. Qui si Filium unicum minorem genuit, aut non potuit, aut non voluit gignere æqualem. Si autem dicis, quia non potuit, infirmus; si noluit, invidus invenitur: quod utrumque nemo dicere audeat: ergo Patri Filius vere æqualis est: nec ad rem pertinet, si forte dicas potentior et majorem esse Filio, quia ipse de nullo potentiam accepit, vel genitus est: Filius vero a Patre habet utrumque: originis enim quæstio est, quis de quo sit: Æqualitatis autem, qualis aut quantus sit. Non ergo secundum hoc, quod Pater genuit, et Filius genitus est, et Spiritus sanctus ab utroque procedit, æqualitas vel inæqualitas ibi existit; sed ordo naturæ demonstratur. Denique breve compendium in

(94) De Trin. lib. v, c. 14.

(95) De Trin. v, c. 15.

(96) Lib. xv De Trin. c. 26.

(97) Aug. lib. vii de Trin. c. 2.

(98) De fide, ad Petr. c. 1.

(99) De Trin. lib. vii, c. 1.

(99*) Lib. vii Confess. cap. 40 super Psal. ci.

(100) Lib. iii De orthodoxa fide, cap. 6.

(101) De fide, ad Petr., cap. 1.

(102) De Trin. lib. iii.

(103) Lib. iii. cap. 12.

(105) Lib. 3, cap. 7 contra Maximinum.

supradictorum firmamentum subjungamus : nihil aliud ibi est magnitudo vel potentia, quam veritas. Si igitur nullus est ibi verior alio ; nec major, nec potentior etiam, perspicua ratione existit.

DIST. XXI. *De nominum differentia quibus de Deo loquimur.* — Nunc de nominibus, quibus de Deo loquimur, subjiciamus. Eorum itaque alia sempiterno Deo conveniunt, alia ex tempore. Quæ autem sempiternæ, alia proprietatem deitatis expriment, et personalia dici possunt, ut generatio, Filius, Verbum. Alia sunt quæ unitatem divinæ majestatis ostendunt, ut sapientia, virtus, veritas, et hujusmodi. Sunt et alia quæ translative per similitudinem de Deo dicuntur, ut splendor, speculum, et hujusmodi. Cæterum quæ temporaliter de Deo dicuntur, alia relative, et de omnibus dicuntur personis, ut Dominus, et Creator : quædam sunt quæ non de omnibus, ut donatus, datus, missus. Alia ex tempore dicuntur, non relative, nec de omnibus, ut incarnatus, humanatus et similia. Est præterea quoddam speciale rationis nomen, nec personale, nec essenziale, sed quasi collectivum omnium personarum, quod de nulla per se dicitur, sed de omnibus simul, ut Trinitas.

DIST. XXII. *Quot modis nomina de Deo dicantur.* — Cum autem tot prædictorum nominum differentiæ sint, tenendum est quod ea omnia quæ unitatem essentialis significant ad se et substantialiter dicuntur, et de singulis sigillatim personis, et singulariter non pluraliter in summa accipiuntur. Unde Aug. (105) : Quidquid ad seipsum dicitur Deus, de singulis personis dicitur similiter, et simul de ipsa Trinitate, non pluraliter sed singulariter. Velut Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, non tamen hanc Trinitatem tres Deos esse, sed unum dicimus. Quod de similibus nominibus et, eis quoque quæ ex tempore, et relative de omnibus dicuntur personis, dici poterit. Quæ vero ad singulas personas proprie pertinent, relative aliquando, nunquam autem substantialiter dicuntur. Unde quod proprie singula in Trinitate persona dicitur, nullo modo ad seipsam, sed ad aliam invicem vel ad creaturam dicitur. Ideoque relative non substantialiter dici manifestum est, ut Pater et Filius et Spiritus sanctus (106).

DIST. XXIII. *De substantialibus nominibus divinis in speciali.* — Hoc quoque nomen, quod est persona, ad se et secundum substantiam dicitur. Unde dicit Aug. (107) : Non est aliud Deum esse, aliud personam esse, sed omnino idem. Item Pater ad se dicitur persona, non ad Filium, vel Spiritum sanctum, sicut ad se dicitur Deus, et magnus et bonus. Et quemadmodum hoc illi est esse, quod Deum esse, quod magnum, quod bonum : ita hoc est illi

esse, quod personam esse. Si autem ita est, cur hæc tria, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, dicimus tres personas, non unam personam, cum non tres Deos, sed unum dicamus? Inquit Aug. (108). Quia volumus, inquit, vel unum aliquod vocabulum servare huic significationi, qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceamus interrogati, quid tres essent? Etenim fatemur tres esse, cum scriptum sit : *Tres sunt qui testimonium dant in cælo* (1 Joan. v). Sane cum quæritur quid tres? Magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. (109) Nec enim occurrit aliquod nomen quo proprie complectamur hæc tria. Ideoque pia fides, hoc de cæteris assumptum vocabulum huic articulo deputavit, per quod satisfaceret, quod in secretario mentis de Deo tenet. Et per qualemcunque, intelligentiam, dummodo piam, quid tres, poscenti, utcumque proferret. Dicitur quippe, quod tres personæ, non ut quod quæritur, illud dicatur, sed ne omnino taceatur. Quia supereminentia divinitatis, usitati eloquii facultatem excedit. Verius enim Deus cogitatur quam dicitur, veriusque est quam cogitatur. Prædicta igitur necessitate, hoc nomen a prædicta regula nominum excipitur, quæ secundum substantiam de Deo dicuntur. Quia cum hoc ad se dicatur et substantialiter, non singulariter sed pluraliter in summa accipitur. Tres enim, non unam, sed tres personas esse confitemur. Græci quoque eadem penuria loquendi arctati, tres hypostases dicunt, et unam οὐσία id est tres substantias et unam essentialiam. Nihilque moveat, quod illi tres substantias, nos autem unam dicimus tantum, cum secundum linguæ suæ vernaculum, aliter quam nos, substantiæ vocabulum intelligant.

In Trinitate non est multiplicitas vel singularitas.

— Licet autem tres personæ sint, ut dictum est, nulla tamen pœnitens diversitas vel singularitas ibi est, sed unitas et Trinitas. Unde Aug. (110) : Humana inopia quærens, quid diceret tria? dixit tres personas vel substantias. Quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit, ut non solum ibi unitas intelligatur, ex eo quod dicitur essentia una, sed Trinitas ex eo, quod dicuntur tres personæ. Item Ambros. (111) : Non est diversa, nec singularis æqualitas, nec juxta Arianos Patrem Filiumque secernens, nec juxta Sabellianos, Patrem Filiumque confundens. Pater enim et Filius distinctionem habent, separationem non habent. Unde si alicubi occurrerit, quod tres sint diversæ, personæ ibi diversæ, hoc est distinctæ, intelligendum est. Similiter nec triplicitas, nec multiplicitas in Deo est. Et ideo non est dicendus triplex vel multiplex, sed trinus et simplex. Hinc Augustinus (112). Non quoniam Deus Trinitas est, ideo triplex putandus est. Ambrosius (113). Nec con-

(105) De Trin. lib. v, cap. 6, 8.

(106) Aug. eodem lib. v De Trin. cap. 11.

(107) De Trin. lib. vii, can. 6.

(108) Ubi supra.

(109) Aug. lib. v De Trin., cap. 9.

(110) De Trin. lib. vii, cap. 4.

(111) Lib. ii De fide, cap. 2.

(112) De Trin., lib. i, cap. 2.

(113) Lib. ii De fide, cap. 2.

fusum quod unum est : nec multiplex esse potest, quod indifferens est. Multiplex itaque Deus non est, sed simplex et unus : cujus nulla trium personarum pars est, quia singula earum, verus et perfectus Deus est. Unde Augustinus : In Trinitate Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est, et simul hi tres unus Deus, nec majus aliquid sunt omnes quam singuli, quia spiritualis non corporalis est magnitudo. *Qui potest capere, capiat* (*Matth. xix* : qui vero non potest, credat et oret, ut quod credit, intelligat. Verum enim est quod per prophetam dicitur : *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isa. vii*).

Quomodo tres personæ dicantur unus Deus vel unius essentiæ. — Est præterea sciendum tres personas esse unum Deum, vel ejusdem essentiæ, non secundum materialem causam, ut tres statuæ unum aurum : vel secundum eomplexionalem similitudinem, ut tres homines dicuntur esse ejusdem naturæ. In statu enim, plus auri est tres simul, quam singulæ. In tribus autem personis non major essentia est, quam in singula. Item in tribus hominibus non solum est unus homo, sed duo et tres homines, cum in Trinitate tantum sit unus Deus. Denique nec secundum prædicamentalem rationem, ita scilicet, ut essentia intelligatur genus ; et tres personæ, species : vel ut una essentia, species ; et tres personæ, individua putentur. Quippe, si secundum genus, et species, et individuum ista disserimus, ita tres essentiæ sicut tres personæ dicuntur, velut Abraham, Isaac et Jacob, sunt tria individua, ita quoque tres homines et tria animalia dicuntur. Cæterum huic illud Joannis Damasceni contraire videtur, substantia, inquit (114), significat communem speciem et contentivam, ὁμοειδῶν ἑποτασῶν, homoidon hypostaseon, hoc est, similitum specie personarum, ut puta, Deus, homo, Hypostasis autem individuum demonstrat, scilicet Patrem, Filium, Spiritum sanctum, Petrum, Paulum et hujusmodi. Sane intelligendus est Joannes hoc dixisse, non secundum existentiam proprietatis, sed propter similitudinem prædicationis. Sicut enim commune est, quod de pluribus dicitur : individuum autem, quod de uno solo ; sic et essentia divina de omnibus personis dicitur. Quælibet vero earum, non de alia, sed de seipsa tantum enuntiatur.

Quomodo personæ differant numero. — Adjecit etiam idem Joannes quiddam silentio non prætereundum. Inquit enim, numero non natura differre dicuntur hypostases. Quod ut sane intelligas, nota alium esse numerum quo numeratur, accidentalem scilicet proprietatem ; alium qui numeratur, ipsa scilicet numerabilia. Hypostases ergo in numero differunt, hoc est, ab invicem distinctæ sunt numerabiliter, id est ita ut computare sic possis : Pater est unus ; Pater et Filius duo ; Pater et Filius et Spiritus

(114) Lib. III De fide orthodoxa, cap. 5. Vide *M. dist. 19.*

(115) Lib. I De fide, cap. 2. et III De Spiritu san-

sanctus sunt tres : non autem differunt numero, accidentali scilicet proprietate, quasi alia unitas sit in una persona quam in alia, cum eadem unitas sit in omnibus ineffabiliter, scilicet divina essentia.

DIST. XXIV. Quid significetur per nomen numerale in divinis. — Hic ergo sciendum est, sanctorum auctoritates diligenter inspicientibus patere, numeralium dictionum usum, velut unus, duo, tres, et hujusmodi, introductum esse, non ratione aliqua ponendi ; sed magis removendi a simplicitate deitatis, quæ ibi non sunt.

Quid per unum significetur cum de Deo loquimur. — Cum enim dicitur unus Deus, multitudo deorum per unum excluditur, non numeri quantitas in Divinitate ponitur, quasi dicatur : Deus est, nec multi dii sunt. Unde Ambrosius (115) : Cum unum tantum dicimus Deum, unitas excludit numerum deorum, nec quantitatem in Deo ponit, quia nec quantitas, nec numerus ibi est. Similiter cum dicitur, unus est Pater, unus est Filius, ratio dicti hæc est, scilicet esse Patrem et Filium, quod non multi patres vel filii. Ita de similibus,

Quid per plures. — Item cum dicimus plures esse personas, singularitatem atque solitudinem excludimus, non diversitatem vel multiplicitatem ibi ponimus : quasi dicamus, sine solitudine, ac diversitate, vel singularitate personas confitemur. Unde Hilarius (116) : *Dixit Deus : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Quæro nunc an solum Deum sibi locutum existimes, an hunc sermonem ejus intelligas ad alterum exstitisse ? Solum fuisse dicis, ipsius voce argueris dicentis : *Faciamus, et nostram.* Professione igitur pluralitatis, non diversitatem vel multitudinem posuit, sed solitudinem et singularitatem negavit. Ita etiam cum dicimus tres personas, nomine ternarii, non diversitatem ponimus, sed intelligentiam non ad alium quam Patrem et Filium et Spiritum sanctum referendam significamus, ut singularitas ibi non esse monstretur, ut sit sensus. Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres personæ, hoc est, non tantum hæc persona vel illa, vel tantum hæc et illa, sed hæc et illa et illa in Deitate sunt, et non alia : quod ita esse intelligendum Aug. satis ostendit, ubi dicit (117) : Quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit.

Quid per duo. — Similiter et cum dicitur, Pater et Filius sunt duo, hic est sensus, quod non est tantum Pater vel Filius, sed Pater et Filius, et hic non est ille.

Quid per distinctas et discretas. — Cum autem dicimus, distinctæ vel discretæ sunt personæ, confusionem Sabellianam excludimus, et hanc non esse illam significamus.

Ita etiam cum dicitur, alia est persona Patris, alia Filii : per aliam, non separationem, sed suo

clo, cap. 14.

(116) Lib IV de Trin. circa Genes. I medium.

(117) De Trin. lib. V, cap. 4.

proprietas distinctionem ostendimus. Ait enim Ambrosius (118) : Pater et Filius distinctionem habent separationem non habent.

Quid per hoc nomen (Trinitatis). — Nomen autem quod est Trinitas, id significare videtur, quod hæc oratio, tres personæ: Sicut ergo nulla personarum est tres personæ, ita quoque nulla earum est Trinitas.

Dist. XXV. Quid significetur. — Præterea videamus, cum hoc nomen *persona*, secundum substantiam dicatur: utrum pluraliter dictum, idem significet? Quod quidam sentientes, sic probare nituntur, cum quæritur, inquit, quid tres, vel quid tria? convenienter respondetur, tres personæ. At per quid, de essentia quæritur. Si ergo huic quæstioni recte respondemas, oportet ut respondendo nomine personæ essentiam significemus. Adjiciunt. Augustinus etiam ait (119) : Ideo dici tres personas, quia commune est eis id quod est persona. Denique nihil illis commune est, nisi essentia. Sed si hoc est, quomodo dicetur, alia est persona Patris, alia Filii, quæsi alia essentia? Sane hoc ita intelligendum aiunt, scilicet, alius est Pater, alius est Filius, id tamen commune habentes, quod est persona. Quod auctoritate Augustini confirmant dicentis (120) : Tres personas ejusdem essentiæ, vel eandem essentiam dicimus : non ex eadem essentia, quasi aliud ibi sit, quod essentia est, aliud quod persona. Sicque arbitrantur tres personas, inesse personam omnino convenire.

Sed si sic est, qualiter constabit, quod dicit Augustinus De fide ad Petrum : Alius est Pater in persona, sive personaliter; alius personaliter Filius, alius personaliter Spiritus sanctus? Ideo alium sensum quæramus, juxta sanctorum auctoritatem.

Sciendum igitur cum quæritur, qui tres vel quid tria, non de essentia quæri, nec ibi quid ad essentiam referri. Sane cum Christiana fides tres confiteatur esse, eo quod scriptum sit : *Tres sunt qui testimonium dant in cælo (I Joan. v)*, exquiratur quid illi tres sint, hoc est, quo nomine illos tres declarat. Hac igitur quæstione, arctata fides propter loquendi penuriam, dixit tres personæ. Non, inquam, intelligens per hoc nomen essentiam, sed subsistentias, vel hypostases, secundum Græcos.

Denique eo magis hi tres, tres personæ, id est subsistentiæ dici possunt, qua commune eis est id quod persona est, hoc est, essentia. Nec enim ipsi tres veræ subsistentiæ dicerentur, nisi unusquisque vera essentia esset.

Quis sensus alia est persona Patris, alia Filii — Sciendum quod tam facile, quam recte intelligitur, quo sensu dicatur : alia est persona Patris, alia

Filii, id est alia subsistentia vel hypostasis est Patris, alia Filii : vel alia persona est Pater, alia Filius, hoc est, alia subsistentia vel hypostasis est Pater, alia Filius. Sic de Spiritu sancto intellige. Quod autem Augustinus dixit (121) : Alius in persona seu personaliter Pater; alius personaliter Filius, licet eodem sensu dici possit, congruentius tamen ibi personæ nomine, personalem proprietatem intelligi putamus, ut sit sensus : alius est in persona vel personaliter Pater, id est proprietate sua Pater, alius est quam Filius.

Triplex significatio nominis (persona) — Sic itaque triplex est in Trinitate hujus nominis (persona) significatio. Est enim quando essentiam, et est quando proprietatem, et est quando significat hypostasim. Quippe quod essentiam significet, supra ex dictis Augustini aperte constat. Quod autem proprietatem, sicut dicit Hieronymus (122) : Non nomina tantum sed etiam nominum proprietates, hoc est personas, vel, ut Græci expriment, hypostases, id est subsistentias confitemur. Quod vero hypostasim significet Joannes Damascenus ita inquit (123) : In Deitate unam naturam confitemur, et tres hypostases, hoc est personas, secundum veritatem entes.

Dist. XXVI. — Porro notandum hæreticos hoc nomine quod est (hypostasis) ad simplices capiendos fuisse usos, quia pro persona et essentia interdum dicebatur (124). Ideo monente Hieronymo (125) cum non bonæ suspicionis sit, vel tacendum est contra hæreticos, vel cum suis interpretationibus dicendum.

De personarum proprietatibus. Quare dicuntur proprietates. Quare dicantur notiones. Quare dicantur relationes. Jam de proprietatibus personarum videamus, quæ etiam notiones sive relationes plerumque dicuntur. Ac prius de his agamus, quæ sunt generatio, nativitas et processio. Quæ etiam proprietates dicuntur, quia secundum eas, propria personarum assignantur. Unde Augustinus (126) : Proprium Patris est, quod unum Filium genuit. Proprium Filii, quia de essentia Patris natus est. Proprium quoque Spiritus sancti est, quia de Patre Filioque procedit; dicuntur etiam notiones, quia per eas noscuntur, hoc est ab invicem personæ distinguuntur. Etiam eadem relationes dicuntur, quia eis ad invicem personæ referuntur. Quæ quidem non sunt Deo accidentales, sed in ipsis personis sunt ab æterno immutabiliter. Unde Augustinus (127) : Nihil in Deo secundum accidens dicitur, nec tamen omne quod dicitur secundum substantiam, de Deo dicitur. Dicitur enim ad aliquid ut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem; quod non est accidens, quia ille semper Pater est, et ille semper Filius. Et quia Pater non dicitur Pater,

(118) De Trin. lib. I, c. 2.

(119) De Trin. lib. VII, c. 4.

(120) De Trin. lib. VII, c. 6.

(121) Aug. De fide, ad Petr. c. 1.

(122) In explanatione Symboli ad Damasum

(123) Lib. III orthod. fidei, cap. 5.

(124) Vide initium XXVI dist.

(125) In epist. ad Damasum.

(126) Lib. De fide, ad Petr. c. 1 2.

(127) De Trin. I, v, c. 4 et 5.

nisi ex eo quod ei Filius est. Et Filius non dicitur Filius, nisi eo quod habet Patrem, non secundum substantiam hæc dicuntur, sed ad invicem. Denique Hilarius Patris et Filii assignans propria, ita ait: Si semper Patri proprium est, quod semper Pater est, necesse est semper Filio proprium esse, quod semper est Filius (128); item: Nato Deo manifestum est proprium esse, quod Filius est (129).

DIST. XXVII. *An easdem proprietates Augustinus et Hilarius assignent.* — Sed quæritur utrum easdem proprietates Hilarius et Augustinus expresse- rint. Quod si conceditur, idem est ergo Patri esse Patrem, et genuisse Filium. Si autem hoc est, cui- cunque convenit unum et aliud. Sed natura divina est Pater, ergo genuit Filium, quod non sane dici- tur. Huic autem quæstioni sine præjudicio sanioris sensus respondentes, dicimus quod Hilarius ubi dixit proprium est Patri, quod semper Pater est, ita intelligendum, ut hoc nomen (Pater) ibi hyposta- sim significet, cum determinatione relationis, ut sit sensus; Proprium Patri est, quod semper Pater est, hoc est quod semper genuit. Quem sensum ipse quoque declarat cum subjicit: Ergo qui non semper Pater est, non semper genuit. Cæterum cum de na- tura divina Pater dicitur, hypostasim sine determi- natione relationis ponit: vel ut planius dicatur, non relative dicitur, ut sit sensus: Natura divina est Pa- ter, hoc est hypostasis quæ Pater est. Sic de hoc nomine (Filius) et (Spiritus sanctus) intellige.

Nominum in divinis diversitas, An idem sit dicere aliquid esse Patrem et genuisse Filium. — Denique vo- cabulorum, alia significant hypostases cum relationi- bus, ut generans, natus, procedens, et hujusmodi. Alia significant relationes tantum, ut generatio, nativitas, processio, et hujusmodi. Et hæc omnia tam de personis quam de natura dicuntur: alia sunt quæ determinationes significant tantum, ut gignere, nasci, et procedere, et similia, quæ tantum de personis, nunquam autem de natura divina di- cuntur. Etenim proprietates, tantum personas, non naturam determinant. Unde Joannes Damasce- nus (130): Non differunt ab invicem hypostases secundum substantiam, sed secundum characteri- stica idiomata, id est determinativas proprietates. Characteristica vero, hoc est determinativa sunt hypostaseon, et non naturæ. Ac per hoc videtur, non omnino idem esse dicere, aliquid esse Patrem, et genuisse Filium: vel aliquid esse Filium, et ha- bere Patrem; vel esse Spiritum sanctum, et proce- dere ab utroque (131).

Quomodo homo sit Filius Trinitalis. — Plane ei quod Hilarius dixit (132), Deo nato Deo proprium esse quod Filius est, contrarium esse videtur, quod etiam ho- mines filii Dei sunt et dicuntur, secundum illud:

(128) Hilarius, De Trin. l. XII, in medio libri.
 (129) Idem Hil. paulo ante medium.
 (130) L. III De orth. fide, c. 6.
 (131) Confer. cum m. 26 dist.
 (132) Lib. XII De Trin. paulo ante medium.

Filii Excelsi omnes (Psal. LXXXI). Et illud: Filius meus primogenitus Israel (Exod. IV). Cæterum ho- mines filii Dei sunt, factura; Unigenitus autem na- scibilitatis proprietate. Unde idem Hilarius (133): Nos quidem filii Dei sumus, sed per facturam, quia per gratiam facti sumus, non nati; acquisiti, non generati. Ex adoptione enim homo Filius Dei est, non ex generatione.

Quomodo Trinitas sit Pater hominis. — Sciendum quod tota etiam Trinitas Pater hominis dicitur: unde Aug. (134): Non potest dici Trinitas Pater, nisi forte translative ad creaturam, propter ado- ptionem filiorum; quem enim unum Dominum Deum nostrum recte dicimus, etiam Patrem no- strum propter gratiam suam nos regenerantem recte dicemus. Constat enim unigenitum Filium Dei esse, sed proprie et per naturam. Homines etiam, sed per gratiam. Ita quoque cum plura sint dona Dei, Spiritus sanctus proprie dicitur donum Dei, eo quod æterna proprietate vel relatione dica- tur, quæ in hoc nomine donum manifeste apparet. Unde Augustinus (135): Spiritus sanctus, qui non est Trinitas, sed in Trinitate, intelligitur in eo quod proprie dicitur Spiritus sanctus; relative autem di- citur, cum ad Patrem Filiumque refertur; sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine: apparet autem cum dicitur Dei donum. Nec moveat quod hæc no- mina vicissim ad Patrem et Filium non respondent; in multis enim relativis hoc contingit, ut non inve- niatur vocabulum, quo sibi vicissim respondeant. Cum ergo dicimus donum Patris et Filii, non qui- dem dicimus, Patrem doni, aut Filium doni; sed, ut hæc vicissim respondeant, dicimus donum do- natoris, et donatorem doni; donator tamen non fuit Deus, nisi extempore, cum Spiritus sanctus sit donum ab æterno.

De nominibus (Verbum) et (imago). — Præterea sunt alia nomina, quæ relative dicuntur ad Patrem, eadem notione qua Filius, ut *Verbum et imago*. Unde Augustinus (136): Eo dicitur Filius quo Ver- bum, et eo Verbum quo Filius. Idem (137): Dicitur relative Filius, relative etiam dicitur Verbum et imago. Et in his omnibus vocabulis ad Patrem re- fertur; nihil autem horum Pater dicitur.

An hæc nomina Deus, lumen, etc., dicantur se- cundum substantiam. — Denique essentiæ nomina, ut Deus, lumen, et hujusmodi, nunquam relative di- cuntur. Aliquando autem pro relativis, hoc est pro personis accipiuntur, ut cum dicitur, Deum de Deo, lumen de lumine. Alterum enim pro Patre, alterum pro Filio ponimus.

DIST. XXVIII. *De hoc nomine imago.* — Ali- quando tamen imago essentiam signat, velut ibi: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem*

(133) De Trin. lib. XII circa principium.
 (134) Lib. V De Trin. c. 44.
 (135) Lib. V De Trin. c. 44.
 (136) De Trin. l. VII; De Trin. cap. 2.
 (137) Eod. lib. c. 3.

nostram (Gen. 1). Unde Hilarius (138): Homo fit ad communem imaginem. Et Aug. (139): Una est Trinitatis imago, ad quam factus est homo. Notandum etiam quod Patrem esse, Filium esse, tantum relatione sunt diversa. Unde, quamvis diversum sit esse Patrem et esse Filium, non est tamen diversa substantia, quia hoc non secundum substantiam dicitur, sed secundum relativum.

De hoc nomine, ingenuus. — Oportet præterea scire Patrem dici ingenuum alia proprietate quam genitorem. Unde cum de Deo Patre utrumque dicitur, alia notio est, qua intelligitur genitor, alia qua ingenuus. Hæc autem est innascibilitas. Unde Hilarius (140); Est unus ab uno, id est genitus ab ingenuo, proprietate videlicet in unoquoque et originis et innascibilitatis. At secundum hanc notionem, ad non genitorem refertur. Unde Aug. (141): Sicut Filius ad Patrem, et non Filius ad non Patrem refertur; ita genitus ad genitorem, et non genitus ad non genitorem referri necesse est. Ingenuus porro quid est, nisi non genitus?

DIST. XXIX. De hoc nomine, principium. — *Quid esse principium ad creaturas.* — Nomen aliud præterea est, scilicet principium, quod semper relative dicitur, multipliciter tamen. Dicitur enim Pater principium, et Filius, et Spiritus sanctus, sed differenter. Nam Pater principium est ad Filium, quia ab eo genitus est, et ad Spiritum sanctum, quia ab eo procedit. Unde Augustinus (142): Pater est principium totius divinitatis, hoc est, Filii et Spiritus sancti, in quibus singulis tota divinitas est. Filius autem Spiritus sancti principium est, quia ab eo procedit. Spiritus vero sanctus, tantum ad creaturas principium est. Denique Pater principium est sine principio; Filius vero principium est de principio; et Spiritus sanctus principium de utroque. Cæterum Pater est ab æterno principium Filii; et Pater et Filius principium Spiritus sancti: Spiritus vero sanctus non ab æterno est principium, sed ex tempore. Quippe cum creaturarum tantum principium sit, creaturis esse incipientibus, et ipse cœpit principium esse earum. Ita etiam tota Trinitas cœpit esse principium ad creaturas. Esse autem principium ad creaturas, est esse Creatorem. Unde Augustinus (143): Cum diceretur ei: *Tu quis es?* Respondit: *Principium, qui et loquor vobis* (Joan. vii). In quo Creatorem se ostendere voluit.

Trinitas est unicum principium, non tria. — Hi autem tres non sunt tria principia, sed unum, quia uno eodemque modo operantur in rebus ut sint. Hoc autem intelligens Apostolus ait: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (Rom. xi). Dicendo autem, omnia, naturas intellige, et quæ naturaliter

sunt, non peccata quæ naturam viciant, et ex voluntate peccantium nascuntur.

Quomodo Pater principium et auctor sit Filii. — Dicitur autem principium Pater ad Filium, eo quod genitor. Etenim si gignens ad id quod gignitur principium est, Pater ad Filium principium est, quia genuit eum. Eodem modo etiam Pater auctor dicitur Filii. Unde Hilarius (144): Ipso quo Pater dicitur, ejus quem genuit auctor ostenditur, id habens nomen, quo neque ex alio perfectum intelligatur, et ex quo is qui genitus est substituisse doceatur.

Pater et Filius sunt unicum principium Spiritus sancti. — Fatendum quoque est Patrem et Filium unum principium esse Spiritus sancti, non duo. Ut enim Pater et Filius ad creaturam, unus Creator et unus Dominus dicitur, sic relative ad Spiritum sanctum unum principium. Cumque principium dicantur ipsi duo ad Spiritum sanctum: quia Spiritus sanctus procedit ab utroque. Nec aliter procedit a Patre quam a Filio. Sane intelligi potest, Patrem et Filium eadem relatione sempiterna dici principium Spiritus sancti, cujus relationis nomen non habemus.

DIST. XXX. De his quæ proprie temporaliter de Deo dicuntur. Sunt etiam quædam nomina, quæ ex tempore Deo conveniunt, et relative de Deo dicuntur, velut creator, dominus, refugium, et hujusmodi. Unde Augustinus (145): Creator relative dicitur ad creaturam, sicut dominus ad servum: ista ergo relativa appellatio ex tempore est Deo. Alioquin cogimur creaturam sempiternam dicere, quia ille sempiternæ non dominaretur, nisi etiam ista sempiternæ famularetur. Sicut autem non potest esse servus, nisi habeat dominum, sic nec dominus, nisi habeat servum. Hæc autem de Deo dicuntur secundum accidens, quod non in ipso, sed in creatura tantum est. Et ideo sine mutatione sui, hæc dicitur Deus, quod in minori apparet.

Nummus enim cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen mutatus est cum cœpit esse pretium, neque cum dicitur pignus, et hujusmodi. Si ergo in his minimis hæc ita se habent, multo fortius de illa incommutabili substantia Dei credendum est, quod aliquid ex tempore dicatur, nihil tamen mutata. Appellatio itaque qua creatura ad Creatorem refertur, relationem in ipsa creatura ponit. Qua vero Creator ad creaturam refertur, relativa tantum appellatio est, nullam proprietatem in Deo notans.

Spiritus sanctus dicitur datus relative ex tempore. — Sic Spiritus sanctus datus, vel donatus dicitur, ex tempore relative.

An Spiritus sanctus dicatur relative ad seipsum.

(138) De Trin. l. v a principio libri: in l. De fide, ad Petr., cap. 40.

(139) De Trin. lib. iv, non longe a fine libri.

(140) De Trin. l. v, c. 7.

(141) De Trin. l. iv, c. 20.

(142) De Trin. l. v, c. 13.

(143) Aug. De natura bon., c. 28.

(144) Lib. iv De Trin. non longe a principio.

(145) De Trin. l. v, c. 15.

— Si autem quæritur an Spiritus sanctus ad semetipsum relative dicatur, quia Augustinus ait (146), quod datur, refertur ad illum qui dat, et ad illum cui datur, et Spiritus sanctus dat seipsum. Respondemus Spiritum sanctum ad se non referri, quia dans, Trinitas est, cui datur, creatura. Vel nullum inconueniens esse dicimus, si hic ad seipsum referri dicatur, quia dati vel donati appellatio, quantum ad dantem, nullam notat proprietatem, sed quantum ad recipientem duntaxat. Quod, si quantum ad dantem proprietatem notaret, tunc non posset ad seipsum referri. Etenim sic a seipso diceretur diversus. Quod non faceret appellatio sola, sed proprietas.

DIST. — XXXI. De significatione relativorum similis et æqualis. — In Trinitate præterea dicitur æqualis et similis, relative quidem, quia sicut Hilarius ait (147): Sicut simile sibi nihil est, ita et æquale aliquid sibi non dicitur. Non autem secundum relationem, sed secundum substantiam dicitur. Unde Augustinus (148): Non secundum hoc, quia ad Patrem dicitur, Filius est æqualis Patri. Restat igitur ut secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur, hoc est, secundum substantiam. Igitur in his sola appellatio relativa est; æqualitas autem et similitudo, in tribus personis, est summa et indifferens substantiæ divinæ simplicitas.

Æqualis et similis alia expositio. — Porro quidam dicunt, his nominibus non aliquid poni, sed removeri, ut Filius dicatur æqualis Patri, quasi nec major eo sit, nec minor. Ita et similis quasi in nihilo diversus, vel dissimilis, quod satis fideliter dici manifestum est.

Quomodo Hilarius in Trinitate personarum proprietates ostendat. — Non est autem prætereundum, quod Hilarius proprietates personarum insinuans ait (149): Æternitas est in Patre, species in imagine, usus in munere. In æternitatis autem vocabulo, non eum sequendum arbitratur Augustinus (150); nisi quod Pater non habet Patrem de quo sit. Denique in imagine speciem nominavit, credo propter pulchritudinem, ubi est prima æqualitas, et tanta congruentia, ut ad identitatem ei cujus est imago respondeat. Est autem Patris et imaginis delectatio, vel beatitudo ineffabilis (si tamen voce humana digne dicitur), quæ usus ab eo breviter dicta est. Munus autem idem est quod donum. Donum est Spiritus sanctus. Qui videt hoc ex parte vel per speculum, gaudeat cognoscens Deum, et gratias agat. Qui vero non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum.

Quomodo Augustinus personarum proprietates distinguat. Unitas tribuitur Patri. Æqualitas Filio. Concordia Spiritui sancto. — Augustinus etiam propria personarum distinguens ait (151): In Patre est

unitas; in Filio æqualitas; in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia. Et tria hæc omnia, unum propter Patrem; æqualia omnia propter Filium; connexa omnia propter Spiritum sanctum. Denique unitas Patri secundum Augustinum attribuitur, ea forsitan ratione, qua eidem æternitas supra attributa est, secundum Hilarium. Vel ideo etiam, quia Pater unum principium totius Deitatis. Qui cum sit unus Deus, nascenti de se Filio, procedenti a se Spiritui sancto, unum eundemque Deum esse dedit secum. Sicque omnia sunt unum propter Patrem. Æqualitas autem Filio, quia ipse est imago Patris. Imago autem si perfecte illud implet cujus est imago, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ. Filius autem perfecte implet illud cujus est imago, unde coæquatur ei. Datur etiam a Filio Spiritui sancto ut ibi et Patri sit æqualis. Per hoc itaque elucet utrumque, qualiter hæc tria sint propter Filium æqualia, non a Filio. Ista sine præiudicio melioris sensus, cum timore pronuntiamus. Cæterum concordia Spiritui sancto attribuitur, quod facilius intelligere licet. Est enim Spiritus amor ineffabilis Patris et Filii. Unde Augustinus (152): Spiritus est summa charitas, utrumque conjungens, nosque subjungens. Recte igitur propter eum omnia connexa dicuntur. Inde est quod in sapientia omnia dicitur continere.

DIST. XXXII. Utrum Pater vel Filius per Spiritum sanctum diligat. Quomodo intelligendum, Pater et Filius Spiritu sancto diligunt. — Ex his denique, cum etiam supra dictum sit: Spiritus sanctus est, quo genitus a gignente diligitur, genitoremque suum diligit (*Sap. 1*): videtur Pater et Filius Spiritus sanctus esse, quia in Trinitate nihil est aliud esse, quam diligere. Sed dicimus distinguendum esse quod dicitur, Pater et Filius Spiritu sancto diligunt, hoc est, per Spiritum sanctum, bene dicitur ut supra Aug. per Spiritum sanctum scilicet omnia esse connexa. Si vero dicitur, Spiritu sancto, hoc est, a Spiritu sancto diligunt, falso dicitur. Sic enim auctoritas principii in Spiritu sancto poneretur. Vel ut dicitur, Pater æqualis est Filio, per Filium, non utique a Filio. Vel etiam diligere, non significare ibi esse dicimus, sicut nec dilectio in Trinitate semper significat essentiam. Ut ibi probat Aug. (153): Deus est dilectio. Relative quippe dici videtur, quod genitus a gignente, Spiritu sancto diligitur. Quod si absolute diceretur, Pater sive Filius diligit, vel diligens est Spiritu sancto, tunc arbitror substantive diceretur. Quod cum nunquam occurrat, puto eo ipso prædictum sensum adjuvari. Quod si ita sit, inanis est quæstio, cum aliud in Trinitate sit, Patrem Spiritu sancto diligere, et Patrem Spiritu sancto Filium diligere.

Dux quæstiones. Utrum Pater sit sapiens, sapien-

(146) Lib. v de Trin. c. 14.

(147) Lib. III de Trin. non longe a fine.

(148) De Trin. lib. v, c. 6.

(149) In lib. De synodis.

(150) De Trin. lib. vi, c. 10, exponit verba Hilar.

(151) Lib. I De Doct. Chr. cap. 1.

(152) De Trin. l. VII, c. 3.

(153) Lib. vi, de Trin. c. 5.

tia genita. — Quæritur utrum Pater sit sapiens, sapientia genita, quod videtur ex eo quod Apostolus dicit, Christum esse Dei virtutem et Dei sapientiam, hoc est, Patris (*I Cor. 1*). Quod si ita est, probatur consequenter Pater esse ea, quia hoc ibi est esse quod sapere.

Utrum Filius sit sapiens, sapientia genita. — Item quæritur utrum Filius sit sapiens, sapientia genita, quod concedendum esse videtur. Alioquin enim non videtur sapiens seipso, cum ipse sit solus sapientia genita. Sane si conceditur, incurritur prædictum inconueniens. Ad quod dicimus, neque Patrem, neque Filium, sapientia genita sapientem esse, sed ingenita, quæ tantum Pater est. Unde Aug. (154): Est Deus Pater sapiens, ea quæ ipse est sua sapientia, et Filius sapientia Patris est sapiens de sapientia quæ est Pater, de quo est genitus. Sic etiam de intelligente et intelligentia dicendum est.

Quomodo Filius dicitur sapientia et virtus Dei Patris. — Porro Filius dicitur sapientia Patris et virtus, non quia Pater per eum sapiat vel possit, sed quia Filius sapientia et virtus est, de Patris sapientia et virtute: ne autem per hoc plures sapientias dicere putemur, unam tantum in Trinitate confitemur sapientiam, sed quæ non tantum uno modo dicitur. Dicitur autem genita vel ingenita sapientia, nec est genita ingenita, una tamen tantum sapientia. Sicut unus Deus tantum est. Dicitur et genitus et ingenitus, nec genitus est ingenitus. Unus tantum idemque Deus.

An Filius sapiens sit seipso. — Item quæritur an Filius sapiens sit seipso: quod dislinguimus: si ergo dicitur seipso, id est a seipso, falso dicitur; vere autem dicitur seipso, hoc est, per seipsum. Velut dicitur Filius agere non a se, sed per se. Unde Hilarius (155): Naturæ cui contradicis hæretice, hæc unitas est, ut ita per se agat Filius, nec a se agat: et ita non a se, ut per se agat. Denique dicens non a se agit, auctoritatem principii ab eo removet. Dum vero dicit per se agit, unitatem naturæ in eo confitetur.

DIST. XXXIII. *An proprietates personarum sint ipsæ personæ vel Deus. Quod proprietates sint personæ.* — Denique fideliter firmiterque tenendum est proprietates, de quibus hactenus disseruimus, in personis esse, pro eo quod scriptum est: In personis proprietates, et in essentia unitas (156). Et ipsas personas esse, alioquin multiplicitas esset in Deo. Plane quidquid Deus ab æterno habet, Deum esse, manifesta veritate probatum supra reliquimus, exceptis relativis. Proinde personas proprietatibus distinguere, et ipsas esse personas, sic aperte Hieron. dicit (157). Sabellii hæresim declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus. Non

A enim nomina tantum, sed et nominum proprietates, hoc est, personas confitemur. Sunt tamen qui mente sacrilega et voce infausta hoc negare non trepidant: blasphemius aliquid addentes, scilicet proprietates utique in personis esse, sed non intrinsecus, imo etiam extrinsecus affixas. Quod ridiculum de insania præsumptionis eorum erumpere non dubitamus. Denique quod somniant, ita probare contendunt. Si proprietates, inquiunt, personæ sunt, non eis personæ differunt. Contra quod dicimus, quia etiam seipsis personæ differre dicuntur. Unde Hieron. de his tribus loquens dicit (158): Substantia unum sunt, personis autem ac nominibus distinguuntur. Sunt etiam divina essentia ipsæ proprietates. Unde Hilarius de una earum ait (159): Nativitas non potest non esse ea natura, unde nascatur Filius, non tamen divina essentia, sed solis proprietatibus personæ differunt. Quod quidem vere dicitur, sed qualiter hoc sit, nec attingitur nec tenetur. Verborum enim significantiam rei ipsius natura consumit.

Insurgunt etiam veritatis æmuli et dicunt: Si paternitas et filiatio in divina essentia sunt eadem res igitur Pater est et Filius: et sic ipsa eadem res et generat et generatur. Quod hæretice dici plusquam manifestum est, Sed qui hoc dicunt, supra etiam moniti esse debent, proprietates, non naturas, sed tantum personas determinare. Quod semel dictum etiam hic iterare non piget, quo sæpius versando, familiarius innotescat. Characteristica ergo, inquit Joannes (160), idiomata sunt, hoc est, determinativæ proprietates hypostaseos, et non naturæ. Sed, inquiunt, quomodo in essentia sunt proprietates, et eam non determinant, cum in personis ita sint, quod eas determinant? Dicimus autem firmiter ita esse tenendum, sed qualiter hoc sit, non confundamur, nescire fateri cum Hilario etiam dicente (161): Ego nescio, non requiro, sed consolabor me tamen: archangeli nesciunt, angeli non audierunt, sæcula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non quæsit, Filius ipse non edidit. Cesset ergo dolor querelarum.

DIST. XXXIV. *Quare distincte dicatur Pater potens, Filius sapiens, Spiritus sanctus benignus.* — Præterea sciendum est quod potentia, sapientia, benignitas, tametsi tribus personis conveniant, quia secundum substantiam dicuntur, Scriptura tamen frequenter hæc nomina distincte ad personas referre solet, ut Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto benignitas tribuatur, non otiose quidem. Quippe hæc nomina pater et filius in creaturis accepta: priorem filio patrem, et sic ex antiquitate defectum in patre: et filium patre posteriorem, et sic in eo sensus imperfectionem notare solet. His autem ad Creatorem translatis, ne infirmitas hominis de si-

(154) De Trin. l. xv, c. 7.

(155) De Trin. l. ix, post medium.

(156) Ecclesia in præfatione de Trin.

(157) In expositione Symboli ad Damasum.

(158) Loco superius signato.

(159) De Trin. l. vii, in medio libri.

(160) Damas. l. iii, De orthod. fide, c. 6.

(161) L. i de Trin. non longe a principio.

militudine creaturæ Dei abscondita metiretur, occurrit Sriptura dicens: Patrem potentem, ne videatur prior Filio, et ideo minus potens. Et Filium sapientem, ne videatur posterior Patre, et ideo minus sapiens. Non quod Pater ibi solus sit potens, vel magis potens; aut Filius solus, vel magis sapiens. Item: Hoc nomen Spiritus atrocitatem notare solet ac rigorem. Ne autem aliquid homo de Deo tale putaret, per quod ad Deum accedere metueret, Scriptura temperavit sermonem, nominans Spiritum benignum, non quod solus Spiritus sit benignus, vel magis benignus.

Denominibus per metaphoram de Deo dictis. — Postremo sciendum, speculum, splendor, figura, et similia, quæ de Deo per translationem dicuntur, nullatenus ad expressionem proprietatis eorumdem nominum dici, sed ad aliquam spiritualem intelligentiam habendam, quam ex causis dicendi, suis quibusque locis, pietas lectoris assumat.

DIST. XXXV. De scientia Dei ingenerati secundum se. Scientia Dei habet multa nomina. — Quamvis plura præmissa sunt de his quæ de Deo secundum substantiam dicuntur, de quibusdam eorum tamen specialis ponendus est tractatus, scientia videlicet, Dei voluntate et potentia Scientia igitur Dei cum sit una et simplex, diversa sortitur nomina, propter diversos rerum creatorum effectus. Dicitur enim præscientia, dispositio, providentia, et prædestinatio. Est autem præscientia et providentia de futuris tantum, tam de bonis quam de malis; dispositio vero de faciendis, providentia de gubernandis, prædestinatio de salvandis, et eorum bonis, quibus hic liberantur, et in futuro coronabuntur. Unde Apostolus: *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati (Ephes. 1.)* Et propheta: *Oculus non vidit, Deus, abs te, quæ præparasti diligentibus te (Isa. LXIV; I Cor. II).* Sed si ita est, videtur, quod si futura ab æterno non essent, nec præscientia nec aliorum singulum in Deo esset, et ita nec essentia. Quia in Deo idem est essentia, quod, præscientia. Item si ab æterno futura non essent, nec Deus præsciret, et ita non esset, cum idem sit ei præscire quod esse. Ad quod dicimus, quia hoc nomen *præscientia*, et singulum prædictorum essentiam designant et relative ad futura dicuntur. Ac per hoc cum ita dupliciter sint, distinguenda est locutio qua dicitur: Si nulla essent futura, non esset in Deo præscientia, hoc est, non esset in Deo scientia, quæ est præscientia, mentitur.

Si vero dicatur esse in Deo scientia, sed qua futura non comprehenderet, vera est.

Similiter et istam: Si nulla essent futura, Deus non esset præsciens. Distingues: Ita et de cæteris dicas, quippe et si nihil tale de Deo diceretur, cum nulla essent ab æterno futura, nihilominus tamen

A in Deo scientia esset, quæ est de omnibus, tam de bonis quam de malis temporalibus et æternis.

Unde Ambrosius scilicet (162): Omnis ratio supernæ et æternæ sapientiæ in eo est, quia omnem sapientiam et essentiam capit sua immensa sapientia. Ideo omnia esse dicuntur in Deo ab æterno.

Unde Augus. (162*): Hæc visibilia antequam fierent erant, et non erant; in Dei scientia, non erant et in sua natura. Nota enim fecit, non facta cognovit. Inde est quod dicitur: *Quod factum est, in ipso vita erat (Joan. 1)*, non quid creatura sit creator, sed quia in ejus scientia semper est, quæ vita est.

DIST. XXXVI. Quomodo res sint in Deo. — Secundum hoc dicitur, quod vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Unde Augustinus (163): Et pulchritudo agri mecum est. Cum illo sunt omnia, cognitione quadam ineffabili sapientiæ Dei.

Sed cum idem sit scientia Dei, et natura, vel essentia, quæritur an omnia sint in Dei natura? Non, cum dicit Augustinus (164): Electos habet apud semetipsum, non autem in natura sua, sed in præscientia. Sed cum idem sit omnino natura Dei et scientia, quid est, quod in scientia omnia esse dicuntur, et non in natura? Forsan hæc est una de causis, quia hoc nomen natura simpliciter ponit essentiam; scientia vero idem esse utique ponit, sed non omnino sine respectu scibilium dicitur. Inde est etiam, quod non quidquid in scientia Dei est, in ejus dilectione esse dicitur, quia hæc nomina, dilectio, scientia, et hujusmodi, cum propter varios status rerum de creaturis sint translata ad Creatorem, diversis respectibus dicuntur ad res ipsas. Quibus impediens non quidquid per unum nomen dicimus, per aliud etiam dicere debemus: verbi causa, omnia in Dei scientia sunt, quia nihil effugit plenitudinem ejus notitiæ. Non autem omnia in dilectione sua sunt, quia non omnibus munus gratiæ conferre dignoscitur.

An mala debeant dici esse in Deo. — Sed cum omnia in Deo sint per scientiam, quæritur utrum concedamus mala esse in Deo? Scit enim omnia Deus, tam bona quam mala. Sane quis nisi insanus mala esse in Deo concedat? Ideo hoc verbum Deus scit, pro varietate scibilium distinguendum est. Scit enim Deus quædam tantum esse vel præterita vel futura esse, ita quod nec approbat, nec sibi placent. Unde et a longe cognoscere ea dicitur. Sicut scriptum est: *Et alta a longe cognoscit (Psal. CXXXVII).* Secundum quod quibusdam dicit: *Non novi nos (Matth. VII).* Hujusmodi non dicuntur esse in Deo, quia eis auctoritatem existendi non præstat. Ea igitur tantum in Deo esse dicuntur, quorum auctor est, bona scilicet quæ *ex ipso, et in ipso, et per ipsum sunt*, ut ait Scriptura (Rom. XI). Quæ tria, ut Ambrosius ait (165), unum sunt quantum

(162) Ambr. super Gen. ad litteram c. XVIII.

(162*) Lib. V De fide, c. 8.

(163) Super illum locum psal. XLIX.

(164) De verbis apost. sermone undecimo.

(165) Lib. III De Spiritu sancto, 12.

ad auctoritatem rerum quæ sunt, ut sint. Sane non confuse hoc accipiendum est, quod Apostolus ad distinctionem personarum posuit. Ex ipso dicens, propter Patrem; per ipsum, propter Filium; in ipso, propter Spiritum sanctum. Sic tamen hoc credas, ut omnia ad singulum referas. Ex Patre enim, et per Patrem, et in Patre sunt omnia. Ita de Filio et Spiritu sancto. Notandum tamen generalius dici ex ipso quam de ipso. Ex ipso enim cælum et terra, sed non de ipso, cum non sint de sua substantia. Sicut ex homine tam filius est, quam domus ab eo facta, sed de homine solus filius.

DIST. XXXVII. Quomodo Deus est in rebus et locis corporalibus. — Dicto qualiter res sint in Deo, quærendum videtur, qualiter Deus sit in rebus? Est igitur sciendum Deum tantum in seipso esse, antequam res creatæ essent. Creatis itaque cælo et terra, ipsa replevit. Unde cælum et terram ego compleo (*Jer. xxiii*). Augustinus etiam (166): Deus ubique, cui non locis, sed actionibus propinquamus.

Quomodo Deus sit generaliter in rebus et specialiter in sanctis. — Est igitur Deus præsentialiter, potentialiter, essentialiter in omnibus rebus communiter: at in sanctis specialiter, scilicet per inhabitantem gratiam, unde Gregorius (167): Licet Deus communi modo rebus omnibus insit præsentia, potentia, substantia: familiarius tamen per gratiam inest illis, qui mirificentiam operum Dei acutius eonsiderant et fidelius. Unde cognoscunt illum et diligunt. Ac per hoc inhabitare illos dicitur Deus. Hinc est: *Cælum mihi sedes; terra autem scabellum pedum meorum* (*Isa. lxvi*). Et alibi (167*): Thronus sapientia, anima juxta est. Propter hoc igitur est quod non dicimus: Pater noster qui es ubique, cum et hoc verum sit, sed qui es in cælis, hoc est in sanctis.

Quomodo Deus inhabitet quosdam eum non cognoscentes. — Inhabitat etiam Deus quosdam nondum cognoscentes eum, velut parvulos sacramento Christi confirmatos, quos ipse sibi dilectissimum templum gratia suæ bonitatis ædificat.

Quomodo Deus sit in Christo. — Est etiam Deus in homine Christo, excellentiori modo, qui non per adoptionem sed per unionem, quippe in quo plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat. In Christo igitur Deus excellenter, in sanctis misericorditer, ubique ineffabiliter; sed qualiter sit, explicare non poseumus. Multa enim de Deo intelligimus, quæ loqui penitus non valemus. Ita etiam multa loquimur, quæ intelligere idonei non sumus.

Quomodo Deus sit ubique, nec tamen coinquinatur sordibus. — Sane cum ubique sit Deus, quomodo sordibus non inquinatur natura? Sed quantum hoc

sit frivolum, etiam in spiritu creato probatur et in solis radiis manifeste irridetur.

Quod non mutetur per loca et tempora. Quid sit per tempus mutari et locum. — Cum autem Deus sit ubique, et omni tempore, non tamen movetur per loca et tempora, quod solum creaturarum est. Unde Aug (168): Omnipotens incommutabili æternitate, voluntate, veritate, semper idem, movet per tempus creaturam spiritualem: per tempus autem et locum, creaturam spiritualem: per tempus autem et locum, creaturam corporalem; non tamen ejus substantia, qua Deus est, temporibus locisque mutatur. Per tempus autem mutari est variari secundum qualitates. Per locum autem mutatur quod locale est: quod duobus modis contingit. Dicitur enim locale aliquid, quod interpositione sui faciat circumstantium distantiam propter dimensiones, quod proprium est corporis. Unde Aug. (169): Locus in spatio est, quod longitudine, altitudine, et latitudine corporis occupatur. Dicitur etiam locale, quod loco tantum terminatur, hoc est ita est alicubi, quod non est ubique, quod etiam angelo convenit. Unde etiam Beda (170): Angelus spiritus circumscriptus est. Summus autem Spiritus incircumscriptus, intra quem currit angelus, quocumque mittatur. Item Ambr. (171): Seraphin de loco ad locum transit, nec enim omnia complet; Deo autem nihil horum convenit. Quippe, nec distantiam sui interpositione facit, nec ita est alicubi, quod non sit ubique. Ubique enim Deum esse supra probatum est. Non tamen quasi spatiosa magnitudine opinandus est per cuncta diffundi, sicut lux ista vel humus, sed potius sicut in duobus sapientibus æqualiter, quorum alter altero grandior est corpore, eadem tamen sapientia, nec in majore major, nec in minore minor, nec in uno minor quam in duobus: ita Deus in cælo totus, in terra totus, et in utroque, et ubique totus. (172) Non igitur mutatur Deus per loca et tempora, quia nec ullis qualitatibus variatur. Nec movetur ob id, quod in pluribus est hodie creaturis quam heri. Quippe in hoc non ipse, sed creaturæ tantum incipiendo esse, vel deficiendo, mutantur.

DIST. XXXVIII. An præscientia Dei causa sit futurorum. — Nunc repetentes superiora, quæramus si scientia Dei, præscientia, providentia, sint causa futurorum. Quod si ita videtur quod impossibile sit, non evinere quæ præscita sunt: impossibile enim est Dei præscientiam falli. Falleretur autem, si præscita non evenirent. Augustinus etiam dicit (175): Universas creaturas non quia sunt, ideo novit; sed ideo sunt, quia novit. Item alibi (174): Hæc quæ creatasunt, non ideo sciuntur a Deo quia facta sunt, sed potius ideo facta sunt, quia immutabiliter a Deo

(166) Lib. 1 De doctrina Christiana, c. 10.

(167) Super Cantica, c. 61.

(167*) Greg., in l. Sapientia, c. 7.

(168) super Gen. l. viii, c. 22, 23.

(169) Lib. lxxxiii Questionum, q. 20.

(170) Super Lucam c. Ego sum Gabriel.

(171) L. De spiritu 1, c. 6 et 10.

(172) Aug., ad Dardanum epist. 57.

(173) De Trin. l. xv, c. 13.

(174) De Trin. l. vi.

An scientia Dei sit causa malorum. Deus neminem cogit peccare. — Sane si hoc dicitur, et malorum etiam scientia Dei causa esse videtur. Cum et ea sciverit, antequam fierent, quod est absurdum. Ad quod dicimus: Impossibile est præscita non evenire, hoc est nunquam aliter contigit, ideo autem ab Augustino positum, non est causale, sed consecutivum, ut sit sensus: Non quia sunt, ideo earum, sed ideo sunt, quia novit, id est non notitia Dei secuta est existentiam rerum, sed existentia earum, notitiam Dei. Quod ipse declarat cum sequenter adjungit: Non enim nescivit, quæ fuerat creaturus: vel de bonis, intellexit ibi August. (175) quorum utique Deus causa est, non de malis, quæ tantum notitia comprehendit, quorum non est auctor, utpote quæ non sunt sua. Unde non ideo quemquam ad peccandum cogit Deus, quia futura hominum peccata prænovit. Illorum enim præscivit peccata non sua.

An necessario a Deo creata sint bona. — Sed quia bonorum Deus est causa ut sint, nunquid necessitate bona fiunt? Si enim ita est, non proficiunt, cum omne meritum penes voluntatem consistit. Et Propheta: *Voluntarie sacrificabo tibi (Psal. LIII)*. Si dicimus quia Deus bonorum est, ut sint causa effectiva, vel dispositiva, non necessitatem inferens: Quid id esset, si libero arbitrio extincto, bona quælibet efficeret etiam nobis invitis.

Quod futura non sint causa scientiæ Dei. — Patet ergo quomodo Dei scientia non sit futurorum causa. Denique futura nullatenus sunt causa scientiæ ipsius, cum nec temporale æterni, nec creatura sit causa Creatoris. Origenes tamen dicit (176): Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum: sed quia futurum est, ideo a Deo scitur, antequam fiat. At hoc sic intellige, non sciretur a Deo futurum, nisi esset futurum.

An præscientia Dei falli possit. — Licet autem præscientia Dei falli non possit, a quibus tamen oppositum sic probatur. Quia potest aliquid non evenire, cum evenire sit præscitum, vel evenire, cum non scit præscitum evenire. Quod si esset, falleretur Dei præscientia. Sed quamvis ad instantiam multipliciter respondeatur, dicimus tamen eoduntaxat modo aliquid fuisse prævisum, quo eveniret. Cæterum hæc locutio: Impossibile est aliter evenire cum sit præscitum, prævisum ethujusmodi, secundum conjunctionem et disjunctionem sunt determinandæ. Si enim ita intelligas, non potest simul utrumque esse, quod Deus præscierit hoc ita fieri, et aliter fiat, verum est. Quod si ita dicis, hoc non potest aliter fieri, quam sic, sicut ante Deus fieri præscivit, falsum est.

Dist. XXXIX. An Dei scientia possit augeri vel minui. — Similiter quæritur utrum scientia Dei possit augeri vel minui. Quod ita probari videtur,

(175) Homil. 53 super Joan.

(176) Super epist. ad Rom. vii.

(177) Aug. l. xv De Trin. c. 13, 14.

quia posset facere, quod nunquam facturus esset: et illud si faceret, sciret. Item posset Deus non facere, quod facturus est: quod si nunquam faceret, etiam non sciret. Dicimus autem quod scientia Dei quæ essentia divina est, cum non sit ibi aliud esse quam sapere, nec augeri potest nec minui: scita tamen augeri possunt et minui, sine mutatione scientiæ Dei. Ratio autem quare non possit augeri vel minui, hæc est: quia tunc demum augetur vel minueretur scientia Dei, si inciperet aliquid scire vel nescire Deus, quod impossibile est (177).

Sane a quibusdam dicitur: Si Deus potest aliquid scire, quod nunquam scivit, potest aliquid incipere scire. Dicimus autem hoc non sequi, et illud non recipiendum absque conjunctionis disjunctionisque divisione, velut si dicas: Potest scire quod nunquam scivit, hoc est, ita modo scire hoc, quod nunquam scierit, illud falsum est. Quasi utrumque simul esse possit. Quod si disjunctim dicas, hoc modo potest scire Deus, hoc tamen de illo est, quod nunquam scivit, vere proponitur. Omnium ergo tam præsentium quam præteritorum et futurorum Deus scientiam habet. Nec moveat quod Hieron. dicit (178): Absurdum esset ad hæc deducere Dei majestatem, ut per momenta singula sciat, quot culices nascantur, quove moriantur, quota etiam pulicum vel muscarum sit multitudo. Hoc enim dixit, non hoc a scientia Dei removens, sed nos, ne eandem rationabilium et irrationabilium providentiam Dei esse putemus, admonens.

Dist. XL. De prædestinatione et reprobatione. — Denique de prædestinatione aliquid dicendum est. Prædestinatio igitur est gratiæ præparatio, quæ sine præscientia esse non potest. Et est salvandorum tantum, diciturque electio, Præscientia vero, sine prædestinatione est de damnandis, et dicitur reprobatio.

An damnari prædestinatus, vel salvari possit reprobatus. — Deinde quæritur: an prædestinatus possit damnari, vel reprobatus possit salvari. Non. Quia nec augeri nec minui potest numerus electorum. Unde Aug. (179) super illud Apoc.: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam (Apoc. ii)*. Si alius non sit accepturus, nisi iste perdidit, certus est electorum numerus, id est, non potest augeri, nec minui. Sed objicitur: Omnis salus ex gratia est; et quod gratis datur, posset non dari. Quod si fieret, numerus electorum minueretur. Item: Unicuique gratia ad promerendum potest dari, et usque in finem servari; quod si fieret, numerus electorum augetur: sed hoc impossibile est; quare et illud non sequitur. Imp prudenter advertit, in hujusmodi objectionibus, antecedens frequenter esse possibile, consequens impossibile. Verbi gratia: Si modo scit Deus quod nunquam scivit, procul dubio incipit ex tempore aliquid scire. Denique antecedens possi-

(178) In expositione Habac.

(179) Aug., l. De prædestinatione sanctorum.

bile est, consequens nequaquam. Sic de Providentia et similibus reperies.

Porro ratio plana est, quare non potest augeri vel minui electorum numerus. Quia tunc demum augetur, si quis modo inciperet prædestinari. Tunc vero demum minueretur, si quis tunc demum inciperet reprobari. Hoc autem utrumque impossibile est Deo. Hæc tamen locutiones secundum conjunctionis sensum et disjunctionis reperiuntur. Ut impossibile est prædestinatum damnari, hoc est, hæc utrumque simul esse, quod prædestinatus sit et damnetur, verum est. Quod si dices: Impossibile est hunc damnari? hic autem de prædestinatis est, falsum est. De similibus idem est iudicium.

Prædestinatio circa duo. Reprobatio circa duo. Effectus prædestinationis et item reprobationis. —

Præterea prædestinatio circa duo consideratur: Gratiæ, scilicet qua nunc justificamur, et gloriam qua beatificamur. Ita et reprobatio circa duo, quorum alterum præscit Deus, et non præparat, scilicet iniquitatem: alterum vero etiam præparat, scilicet pœnam æternam. Unde Augustinus (180-81): Prædestinatio proprie est beneficiorum Dei præparatio. Ita reprobatio Dei est præscientia malitiæ in quibusdam non finiendæ et præparati pœnæ non terminandæ. Sicut autem prædestinationis effectus est miseratio, ita reprobationis induratio. Unde Apostolus: *Cui vult miseretur, et quem vult indurat* (Rom. ix). Miserationem dicens, gratiæ appositionem, indurationem; vero ejusdem gratiæ privationem. Ang. ad Sixtum (182: Indurat autem Deus non impartiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam. Unde Aug. (183): Sicut reprobatio Dei est nolle misereri, ita obduratio est nolle misereri, ut non ab illo irrogetur quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur.

Dist. XLI. An prædestinatio et reprobatio sint ex meritis nostris. Duo statim sunt in peccatoribus: dilectio et odium. — Denique misericordiæ Dei nullum est meritum, ne gratia evacuetur, si non gratis datur, sed meritis redditur. Indurationis autem meritum est peccatum. Unde Aug. (184-85): Miseretur secundum gratiam, quæ gratis datur. Indurat autem secundum iudicium quod meritis redditur. Cæterum, electionis et reprobationis æternæ nullum est meritum, quod in duobus, Jacob scilicet electo et Esau reprobo, Apostolus dicit aperte *quia non ex operibus, sed ex vocante, cum nondum nati essent, dictum est: Major serviet minori* (Matach. i; Rom. ix). Prædictis sane Augustinus videtur contradicere, dicens (186): *Cui vult miseretur, et quem vult indurat*. Sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest: Venit enim de occultissimis meritis, quia et ipsi peccatores, cum propter generale peccatum unam massam fecerint, non tamen nulla inter eos est diversitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamvis nondum sint justificati, digni effi-

ciantur justificatione. Et item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sunt obtusione. Sed dicimus hoc eum retractasse, quando et illud retractavit (187). Fidem elegit Deus in præscientia, sciens etiam ipsam fidem inter munera Dei reperiri, quod prius non scierat. Quod si hoc non retractavit, prærogata venia, dicere audeamus occultissima merita illum forsitan appellasse, alta, profundaque iudicia Dei quæ unicuique, antequam sit, Dei odium merentur, vel dilectionem. Quomodo dicere solemus mortem Christi etiam nondum natis profuisse, meruisseque salutem. Quibus autem merentur odium, sunt æquissima Dei iudicia, a nostris sensibus remota, quibus vero dilectionem, sunt sola gratia. Unde Hieronymus: Deus non inique egit, Esau spontaneæ odio habito; nec Jacob sine meriti gratia dilecto, quia non sine quodam occultissimo merito, quod ipsi Esau meruit Dei odium, et Jacob dilectionem, ipsis utique non merentibus, quia nondum natis. Quæ duo statim sunt in peccatoribus, quorum altero, scilicet dilectione, digni sunt justificatione, nondum justificati; altero scilicet odio, digni sunt obtusione, nondum obtusi. Si sic benedicatur, laudamus Deum. Si quo minus Augustinum nos hic non assequi, non confundimur confiteri.

Discrimen inter prædest., etc. — Sciendum sane quod prædestinatio, scientia, electio, præscientia, reprobatio, ab æterno tantum; miseratio, justificatio, obtusio, induratio, ex tempore tantum; dilectio vero Dei et odium nec ab æterno, nec ex tempore significant. Denique sciendum est quod non sicut prædestinatio est causa boni, ita et reprobatio est causa mali, ut fiat. Præscientia enim est multis causa standi; nemini autem causa labendi.

Deum semper scire quæ semel scit. Quia vero præscientia Dei tantum de futuris est, ex quo ea futura esse desinunt, etiam Deus ea præscire desinit. Quod ad defectum præscientiæ Dei non pertinet, sed potius ad defectum vel mutationem rerum de quibus est. Multa ergo præscivit olim, quæ non præscit modo. Omnia enim quæ olim scivit, vel in futuro sciet, modo cum scire firmissime credendum est. Ad hoc tamen sic objicitur: Si quæcunque scivit et sciet, modo etiam scit, ergo scit Christum nasciturum, et Antichristum vivere, cum illud scivit, et hoc sciet. Sed dicimus, quia idem prorsus de nativitate hujus et vita Antichristi scit modo Deus, quod scivit aut sciet. Mutatio sane temporum, scientiam Dei circa hæc diversis cogit exprimere verbis, sicut in simili apparet. Eamdem enim diem, propter mutata tempora significamus dicentes: Cras, hodie, heri. Sicut etiam eadem fides ab antiquis et modernis patribus habita, variis locutionibus, pro mutatione temporum pronuntiatur. Quem enim ipsi venturum, nos venisse confitemur, sed

(180-84) In lib. De bono perseverantiæ, c. 14.

(182) Epistola 105.

(183) Lib. i ad Simpl.

(184-85) Lib. ad Simpl. i.

(186) Lib. LXXXIII Quæst., q. 68.

(187) Lib. Retract. i, c. 23.

fides est eadem. Unde Augustinus: Tempora variata sunt, et ideo verba mutata, non fides. Vel instantiam dicimus non probe inferri, Deus scivit hunc nasciturum, ergo scit modo hunc nasciturum. Sic ergo inferat: Ergo scit modo Deus aliquando hunc fuisse nasciturum. De similibus iudicium idem.

DIST. XLII. *De omnipotentia Dei.* — Nunc de omnipotentia Dei videamus, quæ circa duo consideratur, scilicet quod omnia facit quæ vult, et nihil omnino patitur quod non vult. Scriptura enim dicit: *Omnia quæcumque voluit fecit* (Psal. cxiii). August. etiam (188): Non ob aliud vocatur veraciter Omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate creaturæ cujusquam voluntatis Omnipotentis effectus impeditur: Idem (189): Omnipotens est non quod omnia facere, sed quod potest efficere quidquid vult. Non potest facere peccatum; nec mentiri et huiusmodi, quia hæc posse magis ad impotentiam pertinet. Inde Augustinus dicit (190): Magna Dei potentia est, non posse mentiri. Similiter non pati potest quod non vult, quia nec potest falli, miser fieri, et huiusmodi, quia hæc posse, impotentia est. Denique ambulare, comedere, et huiusmodi, non adeo sunt penitus aliena. Licet enim essentia divinæ hæc minime conveniant, in creaturis Deus tamen operatur ea. Cæterum cave, qualiter prædictum Augustini verbum, scilicet potest efficere quidquid vult, intelligas. Si enim dixeris quidquid vult, scilicet facere, vel se posse facere, poterit hoc modo angelus, vel quilibet beatorum dici omnipotens, cum nihil velit facere, nisi quod facit et vult; nec posse, nisi quod potest. Ut ergo soli Deo conveniat, dic: Potest efficere quidquid vult, scilicet fieri, utique vel per se, sicut cælum et terram; vel per creaturam, ut bona opera, et artificialia, quod nemo sanctorum poterit aut potuit.

DIST. XLIII. *Quid plura possit Deus quam velit* — Sciendum autem Deum plura posse quam velle. Unde: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum!* (Matth. xxvi.) Ubi liquido patet et Filium potuisse rogare, quod non rogavit et Patrem exhibere, quod non exhibuit. Augustinus etiam dicit (101): Omnipotentis voluntas multa potest facere, quæ nec vult nec facit. Potuit enim, ut duodecim legiones pugnarent contra illos qui Christum ceperunt. Item (192), quod nunc piorum fides habet, tunc in sapientiæ luce clarissima videbitur, quam certa et immutabilis sit Dei voluntas, quæ multa possit, et non velit: nihil autem velit quod non possit. Item, dicimus (192): Suscitavit Lazarum in corpore, nunquid non potuit Judam suscitare in mente? Potuit quidem, sed noluit.

Ponit aliam opinionem et refutat — Cæterum contra hanc veritatem sic manifestam, quidam Dei po-

(188) In Enchirid., c. 69.

(189) In lib. De spiritu et littera c. 5, 3 et ult.

(190) De Trin. l. xv, c. 4.

tentiam ad mensuram arctare conantur dicentes Deum non aliud posse facere quam quod facit, nec de his quæ facit prætermittere aliquid hoc modo. Non potest Deus facere, nisi quod est bonum et iustum fieri. Non est autem iustum et bonum fieri ab eo, nisi quod facit. Aliter: Non potest facere, nisi quod iustitia ejus exigit. At non exigit ejus iustitia ut faciat, nisi quod facit. Non ergo potest facere nisi quod facit. Eademque iustitia exigit, ut id non faciat, quod non facit: Non autem potest facere contra iustitiam suam. Non igitur eorum aliquid potest facere quæ dimittit. Sane multiplicia sunt hæc, ut non potest Deus facere, nisi quod bonum est et iustum fieri, hoc est: non potest facere nisi illud, quod si faceret, bonum et iustum esset eum facere, verum est. Sed si ita dixerit, non potest facere nisi quod facit, quod utique bonum et iustum est eum facere, falsum est. Aliam etiam propositionem, licet exactionis verbum in Deo suspicione non careat, sic dividimus: Non potest facere, nisi quod sua iustitia exigit ut faciat, id est nisi illud quod si fieret, iustitiæ ejus conveniret, verum est. Sed si ita: Non potest facere, nisi quod facit, quod utique suæ iustitiæ convenit, falsum. De similibus idem.

Item dicunt: Non potest Deus facere nisi quod debet; non autem debet facere nisi quod facit. Sed dicimus, quia debet inciviliter de Deo dicitur, quia nihil omnino nobis debet, nisi ex promisso. Quod autem promisit, omnino non fuit necessitatis, sed gratiæ. Secundum hæc ergo divide: Ut non potest facere, nisi quod debet, hoc est nisi quod promisit, falsum est. Ita vero: Non potest facere nisi illud, quod si faceret, iustitiæ suæ conveniret verum est.

Addunt etiam: Non potest facere vel dimittere, nisi quod ratio est eum facere vel dimittere. Hoc autem solum est quod facit vel dimittit. Sed et hoc divide ad instar superiorum, ut, non potest facere vel dimittere, nisi illud, quod si faceret vel dimitteret, ratio esset eum facere vel dimittere, hoc est quæcumque non sunt subjecta voluntati ejus. sunt de numero non volitorum, verum est. Sin vero non potest facere vel dimittere, nisi quod facit vel dimittit, quod utique ratio est eum facere vel dimittere falsum. Cæterum breviter admoneamur omnia huiusmodi dubia resoluta conditionaliter esse vera, simpliciter vero falsa.

Sane laboriosi magis quam fructuosi adhuc inquirunt: Si potest Deus aliud facere quam facit, potest igitur facere quod non præscivit. Quod si est, potest sine præscientia operari, quod est absurdum. Hoc sane juxta modum conjuncti et disjuncti supra determinatum innotuit, ut sine præscientia operari potest, id est potest operari illud quod non præscivit, verum. Sin autem sine præscientia, id est

(191) In Enchirid., c. 95.

(192) In eod.

(193) Lib. De natura et gratia, c. 7.

sic potest aliquid operari, quod illud non præscierit, et illud faciat, falsum.

Auctoritate etiam Augustini abutuntur, qui ait (193): Hoc solum non potest Deus, quod non vult; per quod videtur non posse facere aliquid, nisi quod vult. Non autem vult, nisi quod facit; et ita videtur non posse, nisi quod facit. Sed hoc ita dictum sciunt, quasi de solis illis quæ non vult Deus sit sermo, non de omnibus. Perinde ac si dixisset Aug.: Quidquid Deus non potest, non vult. Ex quo non sequitur, ergo quidquid non vult, non potest. Velut si dicamus: Hoc solum quod non est animal, non est homo. Non tamen quidquid non est homo, non est animal. Vel hoc simplicius dicimus: Hoc solum non potest, quod non vult, hoc est nihil invitum facit, id est quæcunque non sunt sub-

jecta voluntati ejus, sunt de numero non volitorum, verum est. Unde Aug. (195): Non cogere invitum ad aliquid, quia voluntas tua non est major quam potentia. Quod intellige verum secundum subsistens, non secundum subjecta potentiae et voluntatis.

DIST. XLIV. *An possit Deus facere meliora quam facit.* — Dicunt etiam illi Deum non posse meliora facere quam ea quæ facit. Quia si posset, et non faceret, invidus esset. In quo abutuntur eo quod Augustinus dicit (19): Deus, quem genuit, debuit generare æqualem. Si enim voluit et non potuit, infirmus est. Si potuit et noluit, invidus est. Sane benedixit, quia cum de substantia sua generaret, neque meliorem se, neque minus bonum generare potuit. Alia vero quæ aliunde facit, meliora facere potuit, et minus bona. Unde August. (197): Talem potuit Deus hominem fecisse, quod nec peccare posset, nec vellet; quod si esset, quis dubitet eum meliorem fuisse? Denique si quæritur an alio modo vel meliori possit Deus meliora facere quam faciat, dicimus, si modus referatur ad Deum, quasi alia, vel meliori sapientia, facere possit, negandum. Si vero ad creatura ipsa referatur, quasi alia vel meliora facere possit, concedendum utique, sicut prædictum est. Unde Aug. (198): Fuerat alius modus nostræ liberationis possibilis Deo, sed nullus nostræ miseriæ sanandæ convenientior.

An Deus nunc potest quidquid potuit olim. — Præterea quæritur utrum modo possit quidquid olim potuit. Quod non videtur, quia potuit olim mori et resurgere, quod modo non potest. Ubi dicendum est, quod supra de scientia diximus: scilicet, quod modo potest olim mortuus esse et resurrexisse; cogunt enim tempora mutata mutare sermonem, eodem penitus remanente sensu. Fatemur igitur Deum semper posse quidquid semel potuit, hoc est, omnem habere potentiam, quam semel habuit: non tamen semper posse facere, quod aliquando potuit. Sicut omnem habet seien-

tiam et voluntatem, quam unquam habuit, non tamen omnia scit modo esse et vult, quæ olim scivit esse et voluit.

DIST. XLV. *De voluntate Dei.* — Nunc de voluntate Dei aliquid dicendum est. Sciendum itaque quod velle secundum essentiam de Deo dicitur, cui idem est esse volentem, quod esse Deum. Nec voluntas in Deo est affectus vel motus sicut in creatura, sed divina usia duntaxat. Non tamen quidquid Deus vult, ipsum est, sicut cum idem sit Deo esse quod scire, non tamen est Deus quæcunque scit.

Quis sensus cum dicitur: Deus scit, Deus vult. — Intellige tamen harum locutionum sensum Deus vult, et scit, et est volens et sciens, hoc est, Deus est cujus essentia sua voluntas est, et scientia. Item, Deus scit omnia, id est Deus est cujus scientiæ, quæ ipsius essentia est, omnia sunt subjecta, sicut Deus vult hoc, aut illud, hoc est, Deus est cujus voluntati, quæ sua essentia est, hoc aut illud subjectum est.

Voluntas Dei omnium creaturarum est prima causa. — Hæc igitur summe bona voluntas omnium est causa quæ naturaliter fuerunt, sunt, et futura sunt. Ipsius autem nulla causa est. Unde Aug. (199): Voluntas Dei, prima et summa causa est omnium specierum et motionum. Ubi enim non operatur, quod vult Dei sapientia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter et suaviter disponens omnia? (Sap. viii.) Ipsa itaque prima causa est sanitatis, ægritudinis, præmiorum, pœnarum, gratiarum, retributionum, et omnium denique mirabilium, et quæ sine admiratione ut antiqua miracula mirabiliter contingunt.

Voluntas Dei quid sit. — Hæc autem proprie voluntas Dei dicitur, quæ, cum sit divina usia, immutabilis est, et inexpleta esse non potest. Unde: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit* (Psal. cxiii); et Apostolus: *Voluntati ejus quis resistet?* (Rom. ix.) Quæ beneplacitum Dei recte dicitur.

Quod piura voluntas Dei dicuntur. — Cæterum, plura sunt quorum quodque non secundum proprietatem, sed secundum schemata dicendi, voluntas Dei dicuntur, ut præceptio, prohibitio, consilium, permissio, et operatio Dei; secundum hoc Propheta dicit pluraliter: *Magna opera Domini et exquisita in omnes voluntates ejus* (Psal. cx). Ita quoque propter multos effectus misericordiæ et justitiæ Dei, cum tantum sit una, quæ divina est usia, pluraliter dicitur: *Misericordias Domini in æternum cantabo* (Psal. lxxxviii). Et alibi: *Justitiæ Domini rectæ* (Psal. xviii). Præceptio igitur, prohibitio et consilium voluntates Dei dicuntur, quia sunt signa divinæ voluntatis, ut iudicium futurum et Dei flagellum ira Dei dicuntur, quia signa iræ sunt, cum tamen ira in Deum non cadat.

(194) In lib. i De symb. c. 1

(195) Lib. vii Confessionum, c. 4.

(196) Lib. lxxxv Quæst., q. 50.

(197) Aug. super Gen. ad lit., lib. ii, c. 7.

(198) De Trin. lib. xiii, c. 10

(199) De Trin. lib. iii, cap. 4

Denique hoc modo potest accipi voluntas, ibi: *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra* (Matth. vi). Et ibi: *Qui facit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ipse meus frater, soror, et mater est* (Matth. xii). Hæc autem mutabilis est, et sæpe inexpleta. Multis quippe Deus præcipit quæ non faciunt, prohibet quæ non cavent, consulit quæ non curant. Inde Augustinus (200): Infideles contra voluntatem Dei faciunt, dum ejus Evangelio non credunt.

Deus non semper vult fieri quod præcipit, nec semper caveri. — Quinimo ipse Deus non vult semper fieri quod præcipit. Non enim voluit immolari Isaac quod præceperat, sed Abraham fidem probare duntaxat (Gen. xxii): sic nec semper caveri vult quod prohibet. Sano enim facto dixit ne cuiquam diceret (Marc. i), non eum tacere volens, sed magis formam dare, laudem propriam declinare.

DIST. XLVI. *De permissione Dei et operatione.* — Permissio quoque et operatio voluntas Dei dicuntur. Sic Augustinus ait (201): Non fit aliquid, nisi quod Omnipotens fieri velit; vel sinendo ut fiat, sicut mala; vel ipse faciendo, ut bona. Quæ ideo voluntates Dei dicuntur, quia sinit, Deus autem mala fieri sinit, volens de illis educere bonum. Operatur autem bona, sicut quæ vult esse.

An voluntas Dei compleatur semper. — Sed non videtur voluntas Dei compleri semper, cum Apostolus dicat: *Deus vult omnes homines salvos fieri* (Rom. 9; I Tim, ii): nec fiunt omnes salvi, nolentes facere unde salvantur. Item Dominus dicit, impiam civitatem compellans: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos, et noluitis?* (Matth. xxiii) quasi qua nolente, Dei voluntas non sit expleta. Verum illud Apostoli non sic est intelligendum, quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit; sed quod nullus salvus fiat, nisi quem velit salvari. Sic et illud intellige: *Illuminat Deus omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. i), non quia nullus hominum est qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Illud autem Evangelii non sic intelligitur, quasi tua voluntas meam voluntatem impedisset: sed quia tot quot congregavi voluntate mea semper efficaci, te nolente feci (Matth. xxiii).

An Deus velit mala esse. — Quæritur autem utrum Deus velit mala esse. Quod quibusdam videtur, illud sic probantibus: Deus aut vult mala fieri aut non fieri. Si vult non fieri, non fiunt. Nihil enim ejus voluntati resistit; fiunt autem. Vult igitur mala fieri. Aliter: Omne quod bonum est, vult Deus. At mala esse, bonum est. Unde Aug. (202): Non solum bona, sed etiam ut sint mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent etiam mala, nullo modo esse sinerentur ab Omnipotenti bo-

(200) In lib. De spiritu et lit. c. 33.

(201) In Enchir.

(202) In Enchir. cap. 96.

(203) In Enchir. c. 72.

na. Quibus alii respondent, non esse sic dicendum: Deum velle fieri mala, vel velle non fieri, sed tantum non velle fieri mala. Si autem quod de Aug. proponunt, scilicet mala fieri bonum esse, dicunt bonum ibi pro utili positum, qualiter etiam Hieron. ait: Malum Judæ bonum fuit bonis, quibus scilicet utilitas de illo pervenit salutis. Deus enim bona de malis producit. Unde Aug. (203) inelius judicavit Deus de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere: sic igitur mala esse bonum est, hoc est, utile. His tamen duntaxat, qui secundum propositum vocati sunt sancti: talibus enim, ut ait Apostolus, *omnia cooperantur in bonum* (Rom. viii), etiam mala; quæ si eveniant, in bonum proficiunt, quia humiliores post lapsum redeunt et cautiores existunt, uti Petrus. Mala etiam ab iniquis illata, eis prosunt ad emendanda peccata, et exercendam servandamque justitiam, uti Job Dei manum, et Apostolus Satanæ stimulum sensit, et uterque profecit, quia malum bene portavit. Denique non vult Deus mala fieri; quia si hoc est, etiam Deus auctor malorum est, cum ejus voluntas sit auctoritas. Unde Aug. (204): Illo auctore cum dicitur, illo volente dicitur. Evangelista etiam profitens Deum auctorem bonorum ait: *Omnia per ipsum facta sunt* (Joan. i). Quod removens a malis addit, sine ipso factum est nihil, hoc est, peccatum. Non autem dixit, eo nolente, vel volente, vel invito, sed sine ipso, id est sine ejus auctoritate. Item (205): Non est Deus causa, qua homo sit deterior, quod esset si vellet mala fieri, quibus homo deterior est. At bonorum causa tantum Deus est.

DIST. XLVII. *Quod Dei voluntas semper de nobis vel a nobis impletur. Creaturæ voluntate semper fit Dei voluntas. Inquirat sensus superiorum verborum. Deus non semper præcepta fieri vult.* — Sciendum etiam quod sempiterna Dei voluntas semper de eo quod agimus adimpletur. Unde Aug. (206): Illa voluntas semper impletur, aut de nobis, aut a nobis. De nobis impletur, sed tamen non implemus eam, quando peccamus. A nobis impletur quando bonum agimus. Ideo enim facimus, quia Deo placere scimus. Igitur nihil facit homo, de quo Deus non operetur quod vult. Quippe si peccaverit, pœnitenti vult parcere ut vivat; impœnitentem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat. Et ita per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod Creator non voluit, implet ipse quod vult, bene utens etiam malis. Hoc enim ipso quod contra ejus voluntatem fecit, de ipsa facta est voluntas ejus. Sane ut pro his errori locus non pateat, dictum supra voluntatis distinctionem recolat, ut sit dicere: Per hoc quod creatura contra Dei præceptum fecit, de ipsa facta, hoc est, impleta est ejus vo-

(204) Lib. LXXXIII. Quæst., q. 3.

(205) Lib. eod. q. 4.

(206) In Enchir. c. 106, et sequens.

luntas æterna, qua eam damnare volebat. Unde Gregorius super Job aperte ait (207): Multi voluntatem Dei peragunt; unde mutare contendunt, et consilio ejus resistentes obsequuntur, quia hoc ejus dispositioni militat quod per humanum studium resultat. Sciendum etiam quod omnibus præcipit facienda, et prohibet vitanda: licet non a singulis ita fieri velit: ideo ut justitiam suam omnibus ostendat, et ita boni per obedientiam, gloriam; mali vero inexcusabiles per contumaciam, sortiantur pœnam. Multa denique in utroque Testamento personaliter præcepit, atque vetuit, non quod ita fieri vellet, sed tacita ratione, quam diligens et pius lector suis quibusque locis Deo aperiante inveniet.

DIST. 48. *Aliquando homo bona voluntate aliud vult quam Deus.* — Postremo admonendi sumus, quod aliquando bona est voluntas hominis nolentis id fieri quod Deus vult, sine tamen pietatis. Unde August. loquens de Apostolo ait (208): Bonæ apparebant voluntates piorum fidelium, qui volebant apostolum Paulum Jerusalem pergere (Act. xxi), ne ibi mala quæ Agabus propheta prædixerat pateretur, et tamen Deus hoc illum pati volebat. Aliquando etiam mala est voluntas hominis, idem volentis quod Deus, hoc est, utique propter finem impietatis: velut idem voluerunt Judæi quod Deus, scilicet Christum occidi. Dei tamen in hoc fuit bona voluntas, quia hoc pie volebat; illorum vero mala, quia impie.

Notandum autem est hic, quod tantum volebat Deus Christum occidi a Judæis; non autem quod

(207) Lib. vi Moralium cap. 11, super illud Job v, Qui apprehendit sap.

A Judæi occiderent eum, sicut Christus voluit quod prædixerat impleri a Petro: non autem voluit Petrum implere illud, alioquin voluisset se Petrum negare.

Illud etiam non indistincte intelligendum est, scilicet voluit Deus occidi Christum a Judæis, id est mortem a Judæis illatam eum pati, verum est; si autem voluit occidi a Judæis, hoc est, ut Judæi occiderent eum, falsum est. Vel ut melius videtur, dicendum est Deum voluisse Dominum occidi, et non ab aliquo, vel ab aliquibus, licet sine illis hoc fieri sit impossibile. Sicut vult aliquem pœnitere, nec vult illum omnino peccasse, tametsi hoc sine illo esse non possit. Si autem quæritur utrum sanctis placere debuit Christum pati, dicimus utique, respectu liberationis hominis: sed nequaquam respectu sui cruciatus. Quem etiam quidam eorum abhorrescens, pietate non ambiguitate, quasi dubitando quæsit: *Tu es qui venturus es, an atium exspectamus?* (Matth. xi).

Item quæritur si passio sanctorum martyrum nobis placere debeat. Et dicimus, utique, respectu coronæ percipiendæ sibi paratæ. Eandem tamen nolle digne possumus, qui eos declinare passionem, et effugere manus iniquorum compassione pietatis optamus. Pie ergo velle atque nolle possumus sanctorum passiones. Unde pium est flere Martinum, et pium est gaudere Martinum. Omnis igitur illa bona voluntas est, quæ ad rectum finem dirigitur, qui duntaxat ex zelo Dei, secundum scientiam pensandus est.

(208) In Ench. c. 101.

Finis libri de Trinitate, qui est sententiarum Bandini primus.

MAGISTRI BANDINI DE MUNDI CREATIONE ET HOMINIS LAPSU LIBER QUI EST SENTENTIARUM SECUNDUS

Πρωτῶν. — Postquam primo libro Dei vim ac naturam breviter et (quantum perspicit ac tradi ea ab homine potest) clare exposuit Bandinus, secundo hoc libro aptissima methodo suam inquisitionem transfert ad res a Deo conditas: ac primum quidem præmissa de rerum principiis disceptatiuncula angelorum tradit creationem, naturam, statum, lapsum, ordines ac ministeria: deinde mundi creatione (quæ sex dierum opere completa et distincta est) explicata, specialem de homine tractatum aggreditur, docens eum ad Dei similitudinem formatum, in paradysum translatum, et hic a muliere invidia diaboli seductum. Postremo occasione lapsus Adæ multa, de libero arbitrio, de gratia, de peccato tum originali tum actuali, aliisque peccatorum varietatibus, de septem capitalibus vitiis, de peccato in Spiritum sanctum, de venialibus peccatis doctissime Bandinus prosequitur.

DIST. I. *Unum esse rerum principium, non plura.* D ad mysterium divinæ unitatis atque Trinitatis per Platonem tria sunt principia, Aristoteli tria. — Quæ tenere noscuntur, quantum brevitatis utilitas pati-